Zu der

öffentlichen Prüfung

der Zöglinge

des Königlichen Joachimsthalschen Gymnasiums,

welche

Sonnabend den 1sten October 1842

veranstaltet werden soll,

ladet ehrerbietigst ein

der Director

Dr. AUGUST MEINEKE.

Vorausgeschickt ist eine Abhandlung des Herrn Prof. Dr. Julius Mützell:

De translationum, quae vocantur, apud Curtium usu.



Berlin.

Gedruckt in der Druckerei der Königlichen Akademie der Wissenschaften.

1842.

Quum proximo anno Quintum Curtium Rufum qualicunque opera mea illustratum ederem et emendatum, factum est quum propter consilii mei rationem, tum quod in maiorem iam molem creverat opus, ut satis multa, quae ab iis, qui in eodem negotio elaboraverunt, aut praetermissa aut non probabiliter ex omni parte disputata viderentur, in praesenti omittenda et in posterum reiicienda mihi esse intelligerem. Derelinquenda autem erant praeter cetera aliquot difficillimae impeditissimaeque quaestionis capita. Neque enim quo consilio, qua arte quum in omni rerum narratione componenda, tum in graecorum scriptorum de Magno Alexandro libris ad suum commodum convertendis usus esset Curtius, iusta ac plena commentatione separatim fuerat disceptatum, neque quae singillatim de oratione scriptoris in utramque partem disputata in commentariis extabant, in unum locum quasi cogi et congregari atque suo ordine ita disponi potuerant, ut quae inde de eius aetate coniectura posset capi, manifesto teneretur. Quae omnia, si otium et vires non deessent, mox fore profitebar, ut a me pertractarentur sedulo et, quantum fieri posset, explicarentur; atque in eam rem fidem interponebam meam. Hanc igitur ut aliqua ex parte exsolverem, quamvis ad alia me studia traheret animus, utendum esse videbatur ea scribendi opportunitate, quam propter imminens hoc ipso anno scholasticae scriptionis munus mihi oblatum iri videbam. Sed in hoc consilio non idem omnium, quos modo dixi, locorum erat usus; nam scholae quum esset scribendum, quid attinebat interiora delibare litterarum studia? Omissa igitur omni disputatione paulo abstrusiore, omisso recondito ac superbo doctrinae apparatu, eam commentandi materiam deligendam mihi esse intelligebam, cui summa cum schola scholaeque rationibus intercederet necessitudo; quae quidem diligenter pertractata non modo discipulis plurimum prodesset ad augendam firmandamque intelligendi, scribendi, dicendi facultatem, sed etiam qua via et ratione illi docerentur atque erudirentur, et parentibus discipulorum et collegis, laborum consiliorumque sociis, et viris illustrissimis, qui scholis praesunt, documento esse posset. Ob eam causam constitueram equidem de eloquutione Curtii scribere. Sed propter horum libellorum fines satis angustos non universam rem licebat comprehendere, verum his erat terminis circumscribenda commentatio, ut tantummodo de translationum, quae vocantur, apud Curtium usu ageretur. Hac de re ita disputari posse putabam, ut et scholae satisfieret neque singularis illa et multorum virorum doctissimorum ingeniosissimorumque disputatione agitata de

Curtii aetate quaestio plane negligeretur. Sed ne omnis disceptatio in lubrico et instabili loco versaretur, priusquam ad rem propositam accederetur, quasi quaedam fundamenta causae agenda et constituenda esse videbantur.

CAPUT I.

VETERUM SCRIPTORUM DE TRANSLATIONIS VI ET NATURA SENTENTIAE.

Plenus est omnis omnium hominum et doctorum et indoctorum sermo iis vocabulis, quae quum in sua quaeque re propria sint, propter similitudinem quandam sive ob aliam quamlibet causam in alias res transferantur. Talia enim sua sponte nascuntur loquentibus. Sed ex quo excoli coepta est ars quaedam ac disciplina dicendi, extemporalis illa, ut ita dicam, et naturalis transferendi facultas ad certam quandam sive rationis sive consuetudinis formulam exigebatur. Ita non solum non omnia, quae sponte prodierant, probabantur, sed alia, quae probarentur, sedulo quaerebantur. *Quo* facto, inter verborum exornationes, quibus ipsius sermonis insignita contineretur perpolitio (ad Herenn. 4, 13, 18), ab graecis rhetoribus et grammaticis *μεταφορά* relata est, ab latinis translatio. Quae res quum a primordiis artis rhetoricae repetenda sine dubio fuerit, originem nominis et auctorem non licet definire. Primam eius mentionem reperimus apud Isocratem et Aristotelem, sed eam, ut de re notissima atque omnium usu satis iam trita loqui illos appareat. Et Isocratis pauca tantum eaque lacera supersunt de metaphora verba apud interpretes Hermogenis, edita illa et a Spengelio *Συναγ. τεχν.* p. 162 et ab Walzio Rhet. gr. Vol. V, p. 469: *ἐκ τῆς Ἰσοκράτους τέχνης διδασκόμεθα, ποῖαι τῶν λέξεων λέγονται καθαραί· — ὀνόματι δὲ χρῆσθαι ἢ μεταφορᾷ ἢ τῷ καλλίστῳ ἢ τῷ ἥκιστα πεποιημένῳ ἢ τῷ γνωριμωτάτῳ.* Quibus ex verbis non multum licet expedire. Uberiora et pleniora Aristotelis sunt praecepta. Quod primarium est in hac causa philosophi testimonium, legitur in libro, qui est *περὶ ποιητικῆς*, c. 21: *ἅπαν δὲ ὄνομά ἐστιν ἢ κύριον ἢ γλῶττα ἢ μεταφορὰ ἢ κόσμος ἢ πεποιημένον ἢ ἐπεκτεταμένον ἢ ὑφῃρημένον ἢ ἐξηλλαγμένον.* Quibus verbis subiiciuntur mox haec: *μεταφορὰ δ' ἐστὶν ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορὰ ἢ ἀπὸ τοῦ γένους ἐπὶ εἶδος, ἢ ἀπὸ τοῦ εἴδους ἐπὶ γένος, ἢ ἀπὸ τοῦ εἴδους ἐπὶ εἶδος, ἢ κατὰ τὸ ἀνάλογον. λέγω δὲ ἀπὸ γένους μὲν ἐπὶ εἶδος, οἷον "νηῦς δέ μοι ἥδ' ἕστηκε." τὸ γὰρ ὁρμεῖν ἐστὶν ἑστάναι τι. ἀπὸ εἴδους δὲ ἐπὶ γένος· "ἦ δὴ μυρί' Ὀδυσσεὺς ἐσθλὰ ἔοργεν·" τὸ γὰρ μυρίον πολύ ἐστιν, ᾧ νῦν ἀντὶ τοῦ πολλοῦ κέχρηται. ἀπ' εἴδους δὲ ἐπὶ εἶδος, οἷον "χαλκῷ ἀπὸ ψυχὴν ἀρύσας" καὶ "τεμὼν ἀτειρέϊ χαλκῷ." ἐνταῦθα γὰρ τὸ μὲν ἀρύσαι ταμεῖν, τὸ δὲ ταμεῖν ἀρύσαι εἴρηκεν· ἄμφω γὰρ ἀφελεῖν τι ἐστίν. τὸ δὲ ἀνάλογον λέγω, ὅταν ὁμοίως ἔχῃ τὸ δεύτερον πρὸς τὸ πρῶτον καὶ τὸ τέταρτον πρὸς τὸ τρίτον· ἐρεῖ γὰρ ἀντὶ τοῦ δευτέρου τὸ τέταρτον ἢ ἀντὶ τοῦ τετάρτου τὸ δεύτερον. καὶ ἐνίοτε προστιθέασιν ἀνθ' οὗ λέγει πρὸς ὅ ἐστιν. λέγω δὲ οἷον ὁμοίως ἔχει φιάλη πρὸς Διόνυσον καὶ ἀσπὶς πρὸς Ἄρην· ἐρεῖ τοίνυν τὴν φιάλην ἀσπίδα Διονύσου καὶ τὴν ἀσπίδα φιάλην Ἄρεως. ἢ ὃ γῆρας πρὸς βίον καὶ ἑσπέρα πρὸς ἡμέραν·*

ἐρεῖ τοίνυν τὴν ἑσπέραν γῆρας ἡμέρας καὶ τὸ γῆρας ἑσπέραν βίου ἢ ὥσπερ Ἐμπεδοκλῆς δυσμὰς βίου. ἐνίοις δ' οὐκ ἔστιν ὄνομα κείμενον τὸ ἀνάλογον, ἀλλ' οὐδὲν ἧττον ὁμοίως λεχθήσεται· οἷον τὸ τὸν καρπὸν μὲν ἀφιέναι σπείρειν, τὸ δὲ τὴν φλόγα ἀπὸ τοῦ ἡλίου ἀνώνυμον· ἀλλ' ὁμοίως ἔχει τοῦτο πρὸς τὸν ἥλιον καὶ τὸ σπείρειν πρὸς τὸν καρπόν, διὸ εἴρηται "σπείρων θεοκτίσταν φλόγα." Praeterea multa, quae huc faciant, insunt in tertio Aristotelis περὶ ῥητορικῆς libro; vid. c. 2, p. 1404. *b.* 31. p. 1405. *a.* 8. 10. *b.* 4. 6.; c. 3, p. 1406. *b.* 5. 20 ff.; c. 10, p. 1410. *b.* 13. 36. p. 1411. *a.* 1., quo loco verissime profecto tradit: τῶν δὲ μεταφορῶν τεττάρων οὐσῶν εὐδοκιμοῦσι μάλιστα αἱ κατ' ἀναλογίαν.

Sed ab hac antiqua simplicitate descivit fere posterior aetas. Nam quae uni vocabulo commode subiectae fuerant notiones, in plura mox artificiose dispertitae sunt et diffusae. V. Cic. Orat. 27, 94. G. Jo. Voss. Commentar. rhetoric. lib. 4, cap. 6. P. II, p. 84. ed. Lugd. Bat. 1643. 4. Ac primum apud Graecos μεταφορᾶς nomen transiit fere in τροπὴν sive τρόπον. Illo vocabulo usus est, ut hoc utar, Hermogenes περὶ εὑρέσεων 4, 10, editus ab Walzio Rhet. gr. Vol. III, p. 175: τροπὴ δέ ἐστι τὸ μὴ ἐξ ὑποκειμένου πράγματος, ἀλλοτρίου δὲ σημαντικὸν ὄνομα θεῖναι, κοινὸν εἶναι δυνάμενον καὶ τοῦ ὑποκειμένου καὶ τοῦ ἔξωθεν ἐμφαινομένου. ὃ καλεῖται καὶ μεταφορὰ παρὰ τοῖς γραμματικοῖς, οὐχ ὡς ἐκεῖνοι λέγουσι, τὸ ἀπὸ τῶν ἀψύχων ἐπὶ τὰ ἔμψυχα, καὶ τὸ ἀνάπαλιν, ἀλλὰ καθόλου ἡ ῥητορικὴ πολυπραγμονοῦσα μηδὲν μήτε ἐμψύχων μήτε ἀψύχων οὕτω χρῆται τοῖς ἀλλοτρίοις ὀνόμασιν. Alterum nomen probatissimorum grammaticorum usu iudicioque susceptum est; regnat certe in hoc genere litterarum et graecarum et latinarum. Cuius rei quum multa proferri possint testimonia, nulla profecto magis clara sunt et luculenta, quam quae apud Tryphonem et Quinctilianum reperiuntur. Nam in eo tryphoniani περὶ τρόπων libelli exemplari, quod edidit Walzius Rhet. gr. Vol. VIII, p. 726 ff., leguntur haec p. 728, 3 ff.: φράσις ἐστὶ λόγος ἐγκατάσκευος ἢ λόγος κατά τινα δήλωσιν περισσοτέραν ἐκφερόμενος· τῆς δὲ φράσεως εἴδη εἰσὶ δύο, κυριολογία τε καὶ τρόπος. κυριολογία μὲν οὖν ἐστιν ἡ διὰ τῆς πρώτης θέσεως τῶν ὀνομάτων τὰ πράγματα σημαίνουσα. — τρόπος δέ ἐστι λόγος κατὰ παρατροπὴν τοῦ κυρίου λεγόμενος κατά τινα δήλωσιν κοσμιωτέραν ἢ κατὰ τὸ ἀναγκαῖον. Quae quam genuina sint, intelligitur ex Quinctiliani praecepto Institut. orat. 8, 6, 1: *tropus est verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio.* Frequentissimus in eodem genere adiectivi adverbiique fuit usus. Videndus, ut paucis rem expediam, Longinus περὶ ὕψους c. 32: ἀπόχρη δὲ τὰ δεδηλωμένα, ὥστε δεῖξαι, ὡς μεγάλαι τὴν φύσιν εἰσὶν αἱ τροπικαί, καὶ ὡς ὑψηλοποιὸν αἱ μεταφοραί, καὶ ὅτι οἱ παθητικοὶ καὶ ἐκφραστικοὶ κατὰ τὸ πλεῖστον αὐταῖς χαίρουσι τόποι. Tum Dionysius Halicarnassensis περὶ συνθέσεως ὀνομάτων c. 3: οὔτε μεταφοραί τινες ἐν αὐτοῖς εὐγενεῖς ἔνεισιν, οὔτε ὑπαλλαγαί, οὔτε καταχρήσεις, οὔτε ἄλλη τροπικὴ διάλεκτος οὐδεμία. Denique Apollonius Dyscolus περὶ συντάξεως 3, 23, p. 248, 26 sq.: ἀλλ' εἰ καὶ τὰ τοιαῦτα ἔχεταί τινος ἐννοίας, ἀφ' ἧς καὶ τὴν ὀνομασίαν εἴληφε, καὶ τροπικώτερον μετῆλθεν εἰς κοινὴν ἐπίτασιν, ὡς τὸ ἁλιεύς, κἂν ποτάμιος ᾖ, καὶ ἡ πυξίς, κἂν διαφόρου ὕλης τύχῃ κ. τ. λ. Idem περὶ ἐπιρρημάτων p. 603, 18: ἀρι-

στος μέν ἐστιν ὁ ἐν πολέμῳ ἰσχυρός, *τροπικώτερον* δὲ καὶ ἐπὶ παντὸς τοῦ προσήκοντος· τῇ γοῦν κυριολογίᾳ μαρτυρεῖ τὸ παρώνυμον ἀριστεύς. Ceterum quamquam veteres grammatici rhetoresque alii alia ratione universam rei vim definiendo explicuerunt, quibus illi artibus in aperienda rei involutae notitia usi fuerint, fuse lateque persequi alienum est ab hoc loco.

Iam vero genus universum in certas quasdam sive formas sive partes divisum est; inter quas rhetoricae artis scriptores propemodum omnes primo loco posuerunt *μεταφοράν*, quam Latini dixerunt translationem sive (vid. Meyer ad Cic. Orat. p. 52) tralationem. Cuius vocabuli sententiam ita descripserunt illi, ut de summa rei satis consentirent, de singulis partibus inter se discreparent vel maxime. Non omnino haec cadunt in graecos scriptores: nec mirum. Nam hi neque habent iustam vetustatis commendationem et ex eodem fere eoque satis tenui rivulo sua derivasse videntur omnia. Ordinem ducat Trypho ille walzianus Rhet. gr. Vol. VIII, p. 729, 10: *μεταφορά* ἐστι λέξις μεταφερομένη ἀπὸ τοῦ κυρίου ἐπὶ τὸ μὴ κύριον ἐμφάσεως ἢ ὁμοιώσεως ἕνεκα. Succedat quem Walzius primus edidit, scriptor περὶ ποιητικῶν τρόπων anonymus, minime ille contemnendus, Rhet. gr. Vol. VIII, p. 715, 12: *μεταφορὰ* δέ ἐστι μέρος λόγου ἀπὸ τοῦ κυρίως λεγομένου μεταφερόμενον ἐφ' ἕτερον ὁμοιώσεως ἢ ἐμφάσεως ἕνεκα. Hunc ad verbum paene expressit Cocondrius ap. Walz. l. c. Vol. VIII, p. 784, 23: *μεταφορά* ἐστι μέρος λόγου ἀπὸ τοῦ κυρίως λεγομένου μεταφερόμενον εἰς ἕτερον ὁμοιώσεως ἢ ἐμφάσεως ἕνεκα. Utramque descriptionem coniunxit alter περὶ τρόπων anonymus Walzii l. c. p. 780, 13: *μεταφορά* ἐστι λέξις ἀπὸ τοῦ κυρίως ὠνομασμένου ἐφ' ἕτερον ὠνομασμένον (vid. mox p. 5. 6.) μετηνεγμένη· ἀπὸ τοῦ κυρίου ἐπὶ τὸ μὴ κύριον, ἢ ὁμοιώσεως ἢ ἐμφάσεως ἕνεκα, ubi quum hiulca eiusmodi oratio nc apud talem quidem scriptorem ferenda esse videatur, aut verba ἀπὸ τοῦ κυρίου ἐπὶ τὸ μὴ κύριον ab lectore male sedulo apposita censenda sunt aut prius illud ἢ transponendum. Non multum ab hoc discrepat Georgius Choeroboscus περὶ τρόπων ap. Walz. l. c. p. 804, 10: *μεταφορά* ἐστι λέξις ἀφ' ἑτέρου εἰς ἕτερον μεταφερομένη ἢ ἀπὸ τοῦ κυρίως λεγομένου μεταφερομένη ὁμοιώσεως ἢ ἐμφάσεως ἕνεκα. Paucissimis rem absolvit Gregorius Corinthius ap. eund. l. c. p. 765, 8: *μεταφορά* ἐστι λόγου μέρος μεταφερόμενον ἤτοι ἐμφάσεως ἢ ὁμοιώσεως ἕνεκα. Itaque inter Graecos illos convenit, metaphorae appellationem cadere in vocabula ea, quae quum in sua quaeque re propria sint, in alienas transferantur sive propter similitudinem sive quum plus significent illa quam eloquuntur, perspicuitatis ornatusve augendi causa.

Latinorum de hac re disputationes, quarum auctores et certiores sunt et locupletiores, paulo maiore varietate distinctae sunt. Quod summum est, licet nimia atque exili usus simplicitate comprehendit M. Claudius Sacerdos, ab Eichenfeldio et Endlichero Analectis grammaticis Vindobonae 1836 editus, artium grammaticarum l. 1, §. 173. p. 43: *metaphora est oratio a propria significatione ad non propriam translata.* Contra copiosam nec satis tamen ex omni parte plenam rei definitionem pro-

posuit praestantissimus ille librorum ad Herennium auctor 4, 34, 45: *translatio est, quum verbum in quandam rem transfertur ex alia re, quod propter similitudinem recte videbitur posse transferri. Ea utimur rei ante oculos ponendae causa —, brevitatis causa —, obscoenitatis vitandae causa —, augendi causa —, minuendi causa —, ornandi causa —.* In qua primum illud displicet, quod, quamquam scriptorem de verbis a propria significatione ad non propriam translatis dicere voluisse exempla singulis, quas posuit, partibus subiuncta manifesto docent, tamen ipsa definitio vix ullam eius rei significationem fecit: at aliquam excusationem parat certe, quod 4, 31, 42 idem reliquarum, de quibus dicendum esset, exornationum verborum monuit proprium esse, *ut ab usitata verborum potestate recedatur atque in aliam rationem cum quadam venustate oratio conferatur.* Sed in eo perfecto non omni vituperatione vindicandus est scriptor, quod partitionem causarum ita instituit, ut et eas, quae ad diversa genera referendae erant, tamquam pares coniungeret, et nonnullas certe partes plane intactas relinqueret.

Ciceronis multa sunt et egregia de translatis verbis praecepta, quorum summam cogit hanc Orat. 27, 92: *translata ea dico* (verba), *quae per similitudinem ab alia re aut suavitatis aut inopiae causa transferuntur.* Quae quam vim habeant, elegantissima disputâtione illustrat de orat. 3, 38, 155: *tertius ille modus transferendi verbi late patet, quem necessitas genuit, inopia coacta et angustiis, post autem delectatio iucunditasque celebravit.* (V. C. Jul. Victor art. rhetor. c. 20 p. 251, 27 sqq. ed. Orell. et Mart. Capell. de nupt. phil. 5, §. 512 p. 440 ed. Kopp.) *Nam ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem: sic verbi translatio instituta est inopiae causa, frequentata delectationis. Nam gemmare vites, luxuriem esse in herbis, laetas segetes etiam rustici dicunt. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato quum est dictum, illustrat id, quod intelligi volumus, eius rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo. Ergo hae translationes quasi mutuationes sunt, quum, quod non habeas, aliunde sumas. Illae paulo audaciores, quae non inopiam indicant, sed orationi splendoris aliquid arcessunt.* Nam quod ibid. 3, 43, 170 et verissime dicit et pulcherrime: *translatum verbum tamquam stellis quibusdam notat et illuminat orationem.* Haec similiaque ita sunt disputata, ut Ciceronem quoque translationem ex loco proprio in eum, qui non esset proprius, fieri voluisse certissimum sit. At illud mirum videatur, quod quas grammatici solent appellare καταχρήσεις, his quidem exemplis praeter consuetudinem communi illo translationum nomine complexus fuerit Cicero. Nempe illae fere inopiae causa fieri solent. Neque vero obscura sunt grammaticorum de utriusque generis discrimine praecepta, quae uno verbo commemoravit anonymus ille walzianus l. c. Vol. VIII. p. 780: μεταφορά ἐστι λέξις ἀπὸ τοῦ κυρίως ὠνομασμένου ἐφ' ἕτερον ὠνομασμένον μετηνεγμένη. Articulatim discernuntur illa apud Quinctil. Inst. orat. 8, 6, 35: *discernendum est*

hoc totum a translatione genus, quia ***abusio*** *est, ubi* ***nomen defuit, translatio***, *ubi* ***aliud fuit.*** Cui iterum accedat testimonium Tryphonis l. c. p. 732, 5: διαφέρει δὲ μεταφορὰ καὶ κατάχρησις, ὅτι ἡ μὲν μεταφορὰ ἀπὸ κατονομαζομένου ἐπὶ κατονομαζόμενον λέγεται, ἡ δὲ κατάχρησις ἀπὸ κατονομαζομένου ἐπὶ ἀκατονόμαστον, quae repetiit ex parte anonymus l. c. p. 717, 2 sq. et Georgius Choeroboscus l. c. p. 807, 7 sq. Vid. Sosip. Charis. p. 244, 10 sq. P., Diomed. p. 451, 39 sqq. P., Isidor. Hisp. Orig. 1, 36, 6 p. 56 L. Enimvero in hac causa non Ciceronis quaedam culpanda est negligentia, qui quae esset κατάχρησις, bene noverat (v. Orat. 27, 94), sed grammaticorum potius perversum subtilitatis studium, qui nihil curantes veram et genuinam vim vocabuli simulatam quandam et fucatam notionis rationem intulerunt. Etenim quis infitias eat, per abusionem, quam dicunt, saepissime non habentibus nomen suum accommodatum esse propinquum? At profecto non his solis. Nam, quod Quinctilianus l. c. verissime admonuit, *poëtae solent abusive etiam in his rebus, quibus nomina sua sunt, vicinis potius uti: quod rarum in prosa est.* Idem cadit in μεταφοράς, quae quum fiant plerumque in rebus iis, quas proprio et suo vocabulo appellare licebat, nonnunquam tamen non habentibus nomen suum accommodantur. V. Dionys. Hal. περὶ συνθέσεως ὀνομάτων c. 21: ἐγὼ μέντοι κυρίοις ὀνόμασιν οὐκ ἔχων αὐτὰς (τὰς διαφορὰς τῆς συνθέσεως) προσαγορεῦσαι, ὡς ἀκατονομάστους, μεταφορικοῖς ὀνόμασι καλῶ. Miro igitur acumine illi in definienda καταχρήσεως potestate non illud sequuti sunt, quod proprium est vocabuli eique quasi innatum, sed secundariam quandam rem expresserunt, adventiciam illam et externam. Propria autem et primaria vocabuli vis nec obscura est propter expeditam originis rationem et exemplis idoneis illustrari potest. Non ambigua certe haec sunt Apollonii Dyscoli περὶ συντάξεως 1, 2 p. 4, 26: καταχρηστικώτερον αἱ μονογράμματοι ἐκφωνήσεις συλλαβαὶ εἴρηνται. Et περὶ ἐπιῤῥημάτων p. 531, 17: καταχρηστικώτερον τὰ τοιαῦτα (τὰ σχετλιαστικὰ καὶ εὐαστικά) ἐπιῤῥήματα εἰρήσεται, ᾧ λόγῳ καὶ αἱ μονογράμματοι συλλαβαί, οὐκ οὖσαι συλλήψεις στοιχείων. Adde Schol. Ven. B. et Lips. ad Il. α, 159 p. 17 Bkk. et p. 22, 15 Bachm.: τὸ δὲ ἀρνύμενοι ἐκ τοῦ ἀρνός καὶ τοῦ ὑμήν τὸ δέρμα· οἱ γὰρ ἀρχαῖοι τὰ συναλλάγματα διὰ δερμάτων ἀρνῶν ἐποιοῦντο. καταχρηστικῶς οὖν ἐνταῦθα, ex quo genere permulta congerere licebat exempla. Itaque per κατάχρησιν ponitur vocabulum, quod ex eo loco, in quo proprium est, in proximum quendam et vicinum non sine quadam licentia transfertur. Ita Cicero illam descripsit Orat. 27, 94: *quum minutum dicimus animum pro parvo et* ***abutimur*** *verbis* ***propinquis.*** Minus distincte disputata sunt, quae habet M. Claudius Sacerdos Art. gr. 1, 160 p. 39: ***catachresis*** *est dictio impropria alterius dictionis sibi vindicans proprietatem*, quamquam ab Cicerone non videtur discedere voluisse scriptor. Jam vide sis ab hac ratione quantum discrepent reliqui omnes. Nam Trypho ille l. c. p. 731, 2 praecipit haecce: κατάχρησίς ἐστι λέξις μετενηνεγμένη ἀπὸ τοῦ πρώτου κατονομασθέντος κυρίως τε καὶ ἐτύμως ἐφ' ἕτερον ἀκατονόμαστον, κατὰ τὸ οἰκεῖον. Eadem

fere, paucis tantum mutatis verbis, docent Cocondrius l. c. p. 784, 13 sqq., Georgius Choeroboscus l. c. p. 806, 13 sqq., Gregorius Corinthius l. c. p. 766, 23 sqq., alii. Suscepta est haec doctrina ab latinis grammaticis; nam eodem fere redeunt, quae habent Quinctilianus 8, 6, 34: *κατάχρησις, quam recte dicimus abusionem, quae non habentibus nomen suum accommodat, quod in proximo est.* Festus, qui dicitur, p. 45 L.: *catachresin tropum nos abusionem dicimus, quum alienis abutimur ac si propriis, quum propria deficiunt.* Diomedes p. 451 P.: *κατάχρησις est necessaria similium pro propriis abusio et usurpatio nominis alieni.* Sosipater Charisius p. 244 P.: *κατάχρησις est dictio alienae rei necessario posita.* Cf. Donatum de tropis p. 1775 P. et Isidorum Orig. 1, 36, 6 p. 56 L. Haeccine ergo omnino reiicienda sunt et damnanda? Minime vero ex omni parte: nam plerumque, ubi per κατάχρησιν ponuntur vocabula, non in aliorum eorumque propriorum stationem quasi succedunt, sed ad res deflectuntur, quae, sive formae eiusdem generis sive tanquam in vicinia positae, unum et suum non habent nomen. Scilicet *a potiori*, ut dicunt, *fit denominatio.* At illud si agitur, ut inter metaphoram et catachresin quid intercedat pressius definiatur, ab subtili ista antiquorum grammaticorum descriptione aliquantum videtur esse discedendum. Ut paucis, si fieri possit, absolvam rem, commune utriusque illud est, quod ex loco proprio sumuntur verba et in alienum quendam transferuntur; proprium vero metaphorae, ut is locus, in quem translatum est verbum, quasi quadam imagine eius rei, unde facta translatio est, exornetur et illuminetur; catachresis deinde, ut ea res, cui verbum alienum accommodatur, praeter expectationem et non sine quadam licentia ex notitia alterius rei, quae sive generis eiusdem est pars ac forma sive proxime ad illam accedit, designetur atque denominetur. Ergo in metaphora quaeritur potissimum orationis quoddam lumen, quod illustri rei cuiuspiam imagine funditur; in catachresi id agitur, ut certae cuiusdam rei cogitatio offeratur animo, unde quae sit alterius cuiusdam rei notio, simpliciter sine ulla exornatione denotetur. Ceterum quemadmodum metaphora non illustrat solum orationem, verum etiam apertiorem reddit, ita fieri potest, ut quae suggeritur per catachresin cogitatio, ad ornatum quoque valeat et nitorem orationis. Haec si vere sunt disputata, neque metaphora catachresi subiecta est tamquam forma generi, neque catachresis metaphorae, sed in utraque proprium quoddam et separatum troporum genus cernitur: quid? quod unum idemque vocabulum dispari vi et potestate per metaphoram et per catachresin usurpare licebit. Sed redeat unde devertit oratio.

A Cicerone proximum quem appellare licet, Verrius Flaccus ab illa, quam Cicero expressit, metaphorae imagine, quantum quidem ex Festi laciniis perspicitur, non multum discessit. Documento sunt Festi verba, partim ab Ursino partim ab Odofredo Muellero feliciter, ut videtur, suppleta pag. 153: *Metaphoram quam Graeci vocant, nos tralationem, id est, domo mutuatum verbum: quo utimur, inquit Ver-*

rius, [in oratio]ne, saepius quidem honesti ac [proprii verbi defectu, saepe] ut speciosiore atque [eodem etiam] significan[tiore] quam proprio vo[cabulo] rem indicemus. In quibus verbis constituendis quod Muellerus ab Ursino ita abiit, ut *honesti ac proprii verbi defectu* reponeret pro verbis *honesti ac significantis verbi defectu,* id non tam propter Quinctilianum comprobandum est, quam quod ea quae proxime subsequuntur verba: *significantiore quam proprio vocabulo,* aliquam certe ante iniectam fuisse proprietatis mentionem manifesto declarant. Hanc igitur si ratam habebimus scripturam, Verrius quadruplicem fere constituisse videbitur verba transferendi rationem, unam, ubi proprium rei nomen fuerit nullum, alteram, ubi fuerit illud quidem, sed non eiusmodi, quod in ornata oratione apte decenterque poni posset, tertiam, ubi proprium rei nomen et exstiterit nec per se inconveniens fuerit eloquutionis rationi, translatum vero illustriorem reddiderit et speciosiorem orationem; quartam denique, ubi proprium rei nomen translato minus valuerit ad res significantius exponendas et quasi sub oculos subiiciendas. Haec vera sunt, dum ne male intelligantur. Nam certe quod primo loco posuimus metaphorae genus, illud Verrius non omni voluit carere perspicuitatis et ornatus commendatione; neque crediderit profecto aut speciosam fore translationem eam, qua res ad sensus non admoverentur, aut significantem, qua nihil luminis affunderetur orationi. Vid. Quinctil. 8, 6, 3. Tantum vel praeclarissimi inter veteres artium scriptores ab subtili illa et eleganti rerum descriptione videntur deflexisse, quam nostra aetas mirifice adamavit.

At immerito fortasse culpabimus Verrium, cuius tenues tantum supersunt reliquiae: omnibus numeris, credo, absoluta poterunt videri Quinctiliani in hoc genere praecepta, praestantissimi illius et copiosissimi artis magistri. Praecipit autem Quinctilianus Inst. orat. 8, 6, 5. 6. haec: *transfertur nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est. Id facimus aut quia necesse est, aut quia significantius est, aut quia decentius.* In his illud profecto cautum ostendit et sapientem praeceptorem, quod translationem praeter nomen verbumque docuit fieri posse nullam, ne quis forte pronomina translata particulasve somniaret. Nec reprehenderim plane bifariam distributas translationes: at ita tamen sunt distributae, ut qua de re mox separatim erat dicturus, eam rem tamquam formam huic translationum generi subiiceret Quinctilianus. Nam aperta profecto sunt, neque ullam habent dubitationem, quae idem praecipit l. c. 8, 6, 35: *abusio est, ubi nomen defuit: translatio, ubi aliud fuit.* Sed haec, quoad eius fieri poterat, iam supra illustravimus. Vid. pag. 5-7. Denique in iis, quae sunt de ratione verba transferendi praecepta cavendum erit, ne verba: *quia decentius est* male intelligantur. Quae verba quid sibi velint, satis perspicuum faciunt, quae §. 6. et 7. de singulis partibus leguntur exposita. Ubi quum exemplis lectissimis demonstratum esset, alias translationes necessitate fieri, alias si-

gnificandi gratia, *illa*, inquit Quinctilianus, *ad ornatum: lumen orationis et generis claritatem et concionum procellas et eloquentiae fulmina; ut Cicero pro Milone: Clodium fontem gloriae eius vocat, et alio loco segetem ac materiam. Quaedam etiam parum speciosa dictu per hanc explicantur: hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus sit genitali arvo et sulcos oblimet inertes.* Itaque ex illo decoris vocabulo duplex evolvenda quasi et explicanda est sententia, altera venustatis et splendoris, altera verecundiae et pudoris. Quae quum sub unam aliquam formam ac speciem redigi non possint, sed seiungendae sint necessario inter se et separandae, apud Quinctilianum non triplicem, sed, quemadmodum apud Verrium, quadruplicem verba transferendi rationem manifesto expositam deprehendimus eamque vix ulla re maiore ab verriana distantem. Cadunt igitur haec sub eandem quam in illis indicavimus rationem.

Deinde Sosipatri Charisii et Diomedis de translatione praecepta ex eodem fonte quasi derivata esse apparet. Videlicet apud Sosipatrum Charisium Instit. gr. 4, 4 p. 243 P. p. 161 L. leguntur haec: *μεταφορὰ est dictio translata a propria significatione ad non propriam similitudinem, decoris aut necessitatis aut cultus gratia,* ubi quod Lindemannus *ad non propriam similitudinem* pro *ad non propriam propter similitudinem* reposuit ex codicis neapolitani auctoritate, id non solum iis, quae Lindemannus protulit, ipsius Charisii, Diomedis, Donati testimoniis confirmatur, verum etiam Isidoro Orig. 1, 36, 1: *fiunt autem a propria significatione ad non propriam similitudinem.* Deinde apud Diomedem lib. 2, p. 451 P.: *metaphora est rerum verborumque translatio, a propria significatione ad non propriam* (Lindemannus ad Charis. p. 161 ex codd. addit: *similitudinem*) *decoris aut necessitatis aut cultus aut emphaseos gratia.* Ultima verba, quae non leguntur apud Charisium, ob eam causam suspecta videri non possunt; quid? quod diligentius Charisio auctorem suum sequutus esse videtur Diomedes. Qui fuerit, colligere licet, ut arbitror, ex Diomede 2, p. 450 P.: *tropus est, ut ait Scaurus, modus ornatae orationis et dictio translata a propria significatione ad non propriam, decoris aut necessitatis aut cultus aut ἐμφάσεως gratia.* Utroque autem loco *ἔμφασιν* ex vulgari grammaticorum optimorum consuetudine si interpretemur, nihil fere inest in his verbis, nisi idem quod Quinctilianus docuit translationem interdum *significandi gratia* fieri. Nam quae inest in verbo *ἐμφαίνειν* demonstrandi, significandi notio, velut ap. Apollonium Dyscol. *περὶ συντάξεως* 1, 37 p. 73, 18: *ταύτην (τὴν οὐσίαν) μόνον αἱ ἀντωνυμίαι ἐμφαίνουσι.* 1, 37 p. 74, 5: *ὡρισμένα πρόσωπα ἐμφαίνει (ἐγώ ἢ οὗτος).* 3, 28 p. 267, 2: *οὐδὲ ταὐτὸν ἐμφαίνει τὸ οἱ μὲν παρ' ὄχεσφι τῷ οἱ μὲν δὴ παρ' ὄχεσφι.* 3, 15 p. 235, 22: *ἐμφαίνουσί τε ἐπίτασιν ὡς καὶ τὸ μάλα ἢ ἄγαν,* eadem cadit in nomen inde derivatum. Vid. ibid. 1, 6 p. 27, 24. 25: *δεδείξεται δὲ ὡς καὶ πλήθους ἔσθ' ὅ τε ἔμφασιν ποιεῖ (τὰ ἄρθρα).* 2, 21 p. 152, 18: *(τὸ πρὸς ταῖς ἐμαυτοῦ θύραις ἔστηκ' ἐγώ) ἔμφασιν ἔχει ὡς οὐ πρὸς ταῖς ἄλλου.* 2, 14 p. 121, 13: *ἔστιν οὖν ὁ γενικώτατος τρόπος τῆς*

ἐν αὐταῖς ὀρθῆς τάσεως, ἐπὰν ἔμφασις ἑτέρου προσώπου παραλαμβάνηται· τὸ γὰρ παῖδα δ' ἐμοὶ λύσατε εἴρηται πρὸς τὸ ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν. 2, 29 p. 182, 21, ubi de ἑνδέκατος et ἑνδέκατοι est disputatio: ἀλλά, φήσει τις, πῶς τοῦ ἑνὸς ἐγκειμένου ἔμφασις πληθυντικοῦ γίνεται; 2, 18 p. 137, 27: ἔσται μέντοι ἡ σύνταξις εἰς ἔμφασιν πλείονα διαστολῆς παραλαμβανομένη ἐμὲ αὐτὸν ἐτίμησε —. Περὶ ἀντωνυμίας p. 31 C. 1, ubi de iis orationibus disseritur, quibus suum qui loquitur interposuit nomen: ἄλλως τε ἔμφασιν ὑπεροχῆς τὰ τοιαῦτα σημαίνει. Περὶ συντάξεως 2, 19 p. 141, 1: ὀρθοτονηθεῖσαι (αἱ ἀντωνυμίαι) ὡς ἀκαταλλήλου λόγου ἔμφασιν ἐποιοῦντο. 3, 9 p. 221, 23 de vocativo pronominis ἐμός: καὶ ἴσως τοῦτο αἴτιον ἐγίνετο τῆς ἐλλείψεως, καθὸ παραλαμβανόμενον ἔμφασιν ἀκαταλλήλου λόγου παριστάνει. 4, 10 p. 334, 10: τάγε μὴν ἄρθρα οὐδὲν τοιοῦτον σημαίνοντα ἢ μόνον ἀναφορικὴν ἔννοιαν, ἤ τις χρονικὴν ἔμφασιν παρίστησιν, εἴ γε τὸ ἀναφέρειν χρόνου ὑπόμνησίς ἐστιν ἐν ᾧ προεγεγόνει τὸ ἀναφερόμενον —. 3, 21 p. 247, 16: πολλάκις τὰ ἰσοδυναμοῦντα παραλλήλως τίθεται εἰς πλείονα ἔμφασιν, ὡς τὸ τάχιον περιπατεῖ καὶ μᾶλλον τάχιον περιπατεῖ. Sed ne haec quidem exempla simplicem omnia et sinceram, ut ita dicam, ostendunt vocabuli rationem; aliis enim nihil aliud quam certa quaedam notio, quae vocabulo cuidam subiecta est, aperte demonstratur et effertur; aliis praeter propriam vocabuli notionem altera quaedam, quae cum illa quasi quadam cognatione cohaeret, simul indicatur atque significatur. Hoc igitur usu factum est, ut nonnullis exemplis ἔμφασις non multum abesse videatur ab notione παρεμφάσεως, quae vulgatissima est apud illos auctores. V. Apoll. Dysc. περὶ συντ. 1, 34 p. 68, 5: ὅτι τὸ ἄρθρον αἴτιόν ἐστι τῆς παρεμφάσεως τοῦ πλήθους, συμφανὲς ἐκ τοῦ ἀποβαλλομένου ἄρθρου. 2, 29 p. 182, 5: οὐ γὰρ ἐν ἀγνοίᾳ ἦν (ὁ Ἀρίσταρχος) τοῦ ἑνδέκατοι, οὐδ', ὅτι ἀπὸ ἑνικῆς συνθέσεως πληθυντικὴ παρέμφασις γίνεται. Adde 3, 28 p. 265, 13. 4, 10 p. 334, 15. Anecd. Bekk. p. 541, 24. Et de verbo παρεμφαίνειν Apoll. Dysc. π. συντ. 1, 7 p. 29, 10. 1, 33 p. 68, 1. 1, 34 p. 68, 13. 15. 1, 39 p. 79, 8. 10. 2, 29 p. 182, 26. 3, 11 p. 224, 25. 4, 10 p. 335, 24. Et de adiectivo παρεμφατικός ibid. 2, 16 p. 127, 21. 2, 18 p. 136, 6, 15. 4, 5 p. 319, 11. 4, 10 p. 334, 5. 16. 4, 10 p. 336, 9. Περὶ ἀντων. p. 80, A. 5. Ex hoc autem fonte fluxit, quod grammatici ἔμφασιν habere dixerunt, quae altiorem praeberent intellectum, quam quem verba per se ipsa declararent. V. Quinctil. 8, 3, 83. Tryphon. ap. Walz. l. c. T. VIII, p. 746. sq. Hanc emphasin significationem appellavit non solum auctor ille ad Herennium (quo iam Spaldingius usus est ad Quinctil. 1, 7, 32 T. 1, p. 190) 4, 53, 67: *significatio est, quae plus in suspicione relinquit, quam positum est in oratione,* verum etiam ipse Cicero de orat. 3, 53, 202: *et plus ad intelligendum, quam dixeris, significatio.* Emphasi vero et perspicuitatem et ornatum orationis augeri, in aperto est positum. V. Quinctil. 8, 2, 11. Quocirca apud Diomedem v. *emphaseos gratia* sive ad subtilem illam concinnamque artis formulam exegeris, sive (id quod praeferendum esse videtur) ex simplici interpretabere vulgatae orationis consuetudine, non multum refert: namque significationis utique gratia verba transferri posse demonstraturus erat scriptor. Haec si satis certa

sunt, ut videntur esse, iam in re definita et constituta versari nobis videmur. Nam quattuor illae verba transferendi formae, quas et apud Verrium explicavimus et apud Quinctilianum, eadem iam apud Diomedem sive Scaurum comparent. Ob eam causam iure nostro nobis videmur ante dixisse, Charisium, utpote apud quem triplex tantum legatur partitio, minus diligenter in exprimendo auctore suo versatum esse quam Diomedem.

Ultimo loco commemorabimus Curium Fortunatianum Consultum, scriptorem artis rhetoricae scholicae, quae exstat apud Pithoeum Rhetor. Ant. Lat. Qui quum p. 70 inter *verba bona* et *appetenda* recensuisset *splendida, antiqua, propria, translata*, mox pag. 72: *translatione verborum*, inquit, *quot ex causis utimur? Quattuor. Quibus? Necessitatis, decoris, brevitatis, intentionis.* Decoris notionem anguste definire hoc loco, lubricum est. Brevitatis causa fieri translationes nonnunquam, non omisit auctor ad Herenn. 4, 34, 45. Nec illa *intentio*, quam adiecit Fortunatianus, aliena videtur esse ab eo, quod idem ille augendi causa fieri demonstravit. Illud vero apertum est et perspicuum, neque pleniorem reliquis esse Fortunatiani descriptionem nec satis argutam et subtilem.

Omnem igitur latinorum grammaticorum de translatione doctrinam si paucis comprehendimus, in eo consentiunt ad unum omnes, ut translationem fieri censcant ex loco proprio in eum, qui non sit proprius; at in diversas discedunt partes, ubi de causis rationibusque translationum statuendum erat. Quantas turbas permutatae et permistae inter se metaphora et catachresis dederint, satis declaravimus. Sed maxime a vero abisse videntur, qui nimia causarum partitione sunt usi. Ad veram causam et ad unam patet aditus. Ubi inter scribendum aut dicendum in cogitationem rei cuiuspiam incidimus, persaepe fieri solet, ut animus percellatur alterius cuiusdam rei cogitatione, quae propter singularem aliquam et insignem similitudinem sua sponte sese ingerit animo atque obtrudit. Utraque componenda inter se et comparanda non mediocriter meditantis animus recreatur et oblectatur; nam ea est animi vis ac natura, ut rerum multiplici et copiosa varietate gaudeat, ut ex pertractanda et investiganda similitudine earum dissimilitudineve multum delectationis capiat, ut ab instituto negotio et ab iusto ordine paulisper ad alias res libenter cogitatione deflectat. Deprehensa autem similitudo allicit animum, ut eam rem, in qua versatur oratio, adiecta rei similis significatione illustret, ac simul orationem quadam cogitationum varietate perfundat. Quod ubi vehementius afficitur animus similitudine, ut imago rei menti infigatur et penitus insinuetur, saepe illud simile in locum propriae rei succedit eiusque partes suscipit ita, ut denotetur quidem eius rei, de qua agitur, notio, neque vero plane exstinguatur imaginis vis et potestas. Quippe eius lumine ac splendore omnis oratio distinguitur et illustratur. Itaque translata verba simul et apertam atque dilucidam reddunt orationem et ornatum eius augent ac dignitatem. Quae praeterea sumuntur partitionis causae, eae non primariae sunt et ex ipsa rei notione

necessario ductae, sed aliunde repetitae et extrinsecus illatae. Quae res quum in singulis locis facilem habeat explicationem, diutius hic non commorabimur.

At illud paucis expediendum esse videtur, quomodo eae exornationes verborum, quae ad metaphorae usum rationemque proxime accedunt, ab illa distinguendae sint et separandae; in quem numerum referendae sunt praeter ceteras maxime εἰκὼν sive similitudo, κατάχρησις sive abusio, συνεκδοχὴ sive intellectio, μετωνυμία sive denominatio vel immutatio.

Inter εἰκόνα et metaphoram quid intercedat, exemplo satis declarat Aristoteles Rhet. 3, 4 p. 1406. b.: διαφέρει μικρόν· ὅταν μὲν γὰρ εἴπῃ τὸν Ἀχιλλέα, "ὡς δὲ λέων ἐπόρουσεν," εἰκών ἐστιν, ὅταν δὲ "λέων ἐπόρουσε," μεταφορά· διὰ γὰρ τὸ ἄμφω ἀνδρείους εἶναι, προσηγόρευσε μετενέγκας λέοντα Ἀχιλλέα. Aristotelis praeceptum expressit fere Quinctilianus 8, 6, 8. 9: *In totum autem metaphora brevior est similitudo: eoque distat, quod illa comparatur rei, quam volumus exprimere, haec pro ipsa re dicitur. Comparatio est, quum dico fecisse quid hominem, ut leonem; translatio, quum dico de homine: leo est.* Idem voluit Demetrius περὶ ἑρμηνείας c. 80 p. 39. W.: ἐπὰν μέντοι κινδυνώδης ἡ μεταφορὰ δοκῇ, μεταλαμβανέσθω εἰς εἰκασίαν. οὕτω γὰρ ἀσφαλεστέρα γένοιτ' ἄν. εἰκασία δ' ἔστι μεταφορὰ πλεονάζουσα. Nec non Trypho ap. Walz. l. c. p. 748, 2: εἰκών ἐστι λόγος ἐναργῶς ἐξομοιοῦν πειρώμενος διὰ τοῦ παραλαμβανομένου πρὸς ὃ παραλαμβάνεται.

De catachresi quantum satis dixisse videmur pag. 5 sq..

Synecdochen diligenter descripserunt veteres. Ex Graecis commemorabimus Tryphonem apud Walz. l. c. p. 739 sq.: συνεκδοχή ἐστι φράσις οὐ κατὰ τὸ πλῆρες ἐξενηνεγμένη, προσδεομένη δέ τινος ἔξωθεν ἀκολουθίας. Cum quo ad verbum propemodum consentiunt anonymus περὶ ποιητικῶν τρόπων walzianus l. c. Vol. VIII, p. 718, 11, Gregorius Corinthius ibid. p. 769, 14 et Georgius Choeroboscus ib. p. 809, 5. Hic alteram quandam apposuit definitionem non multum ab illa diversam p. 809, 2: συνεκδοχή ἐστι λέξις δι' ἑτέρου καὶ ἕτερον συνεκδηλοῦσα νόημα. Ab utraque aliquantum discesserunt Latini. Vid. Diomedes p. 453 P.: συνεκδοχὴ *est dictio plus minusve pronuntians quam significans,* ad cuius exemplum Charisium exegit Lindemannus pag. 163. Adde Claudium Sacerdotem l. 1, c. 178 p. 44: *Synecdoche est oratio plus minusve dicens, quam necessario* (editum est: *necessaria*) *postulat significatio, postulat intellectus.* Et Donatum art. gr. 3, 6 p. 34 L.: συνεκδοχὴ *est significatio pleni intellectus capax, quum plus minusve pronuntiet.* Reliqui scriptores minus distincte de synecdoche exposuerunt, velut Cicero de orat. 3, 42, 168, Quinctilianus 8, 6, 19, Cocondrius περὶ τρόπων ap. Walz. l. c. Vol. VIII, p. 790. Quippe illi formas ac partes enumerare, quam genus describere maluerunt. At in his constituendis mirum quantum inter se discrepant plerique! Duas partes descripsit Diomedes p. 453: *modo a toto pars intelligitur, modo a parte nominata totum accipitur.* Adde Charisium p. 245 P. p. 163 L. et Donatum l. c. p. 34 ab Lindemanno recte suppletum. Qui eandem primo

rationem sequitur librorum ad Herennium scriptor 4, 33, 44, tamen mox aliquantum discedit, ut quattuor enumeret partes: *Intellectio est, quum res tota parva de parte cognoscitur, aut de toto pars. — Ab uno plura intelliguntur —. A pluribus unum intelligitur —.* Praeter hunc quattuor qui descripserunt partes, in diversum discesserunt omnes. Nam Claudius Sacerdos l. c. p. 44 praecipit: *aut ex parte totum —, aut per totum pars —; per id, quod dicitur, illud, quod sequitur —; per id, quod sequitur, illud, quod debuisset dici.* Deinde Gregorius Corinthius l. c. p. 769: *καὶ γὰρ ἀπὸ τοῦ μέρους τὸ ὅλον δηλοῖ καὶ ἀπὸ τοῦ ὅλου τὸ μέρος καὶ ἀπὸ τοῦ συμβαίνοντος τὸ προηγούμενον καὶ ἀπὸ τοῦ συμβόλου τὸ κύριον.* Cocondrius l. c. p. 790: *ἢ ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον ἢ ἀπὸ ὅλου τὸ μέρος ἢ ἀπὸ ἐπωνύμου τὸ κύριον ἢ ἀπὸ τοῦ παρεπομένου τὸ κύριον,* et quae sequuntur, ubi nonnulla turbata sunt. Denique Georgius Choeroboscus l. c. p. 809: *ἢ ἀπὸ ὅλου δηλοῖ τὸ μέρος —, ἢ ἀπὸ μέρους τὸ πᾶν —, ἢ ἀπὸ τῆς ὕλης τὸ ἀποτέλεσμα — ἢ ἀπὸ τοῦ συμβόλου τὸ κύριον.* Quinque formae enumerantur apud Tryphonem Walzii l. c. p. 740: *τῶν δὲ συνεκδοχῶν εἰσι διαφοραὶ πλείους· αἳ μὲν γὰρ ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον δηλοῦσιν —, ἢ ἀπὸ τοῦ ὅλου τὸ μέρος —, ἢ ἀπὸ τῆς ὕλης τὸ ἀποτέλεσμα —, ἢ ἀπὸ τοῦ προηγουμένου τὸ ἀκόλουθον —, ἢ ἀπὸ τοῦ ἀκολούθου τὸ προηγούμενον —.* Octo commemoravit Quinctilianus 8, 6, 19: *synecdoche variare sermonem potest, ut ex uno plures intelligamus, parte totum, specie genus, praecedentibus sequentia, vel omnia haec contra.* Sed huiuscemodi partitione nullo pacto genus totum posse exhauriri nemo non videt. Quare verissime Cicero de orat. 3, 42, 168: *cui sunt finitima illa minus ornata, sed tamen non ignoranda, quum intelligi volumus aliquid, aut ex parte totum — aut ex toto partem — aut ex uno plures — aut quum ex pluribus intelligitur unum —, aut quocumque modo, non ut dictum est, in eo genere intelligitur, sed ut sensum est.* Nec multum vituperandi sunt ob eam causam posterioris aetatis grammatici, qui nimiam paene diligentiam in harum rerum investigationem contulerunt; velut anonymus ille *περὶ συνεκδοχῆς*, quem Moschopuli nomine edidit Titzius p. 67, repetiit emendatum Walzius l. c. Vol. VIII, p. 691, tredecim enumeravit synecdoches species: *ἡ μὲν ἀπὸ ὅλου δηλοῖ τὸ μέρος· ἡ δὲ ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον· ἡ δὲ ἀπὸ τῆς ὕλης τὸ ἀποτέλεσμα· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ ἑπομένου συμβαίνοντος τὸ προηγούμενον· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ συμβόλου τὸ κύριον· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ προηγουμένου τὸ ἀκόλουθον· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ ἀκολούθου τὸ προηγούμενον· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ γένους τὸ εἶδος· ἡ δὲ ἀπὸ εἴδους τὸ γένος· ἡ δὲ ἀπὸ τῶν πολλῶν τὸ ἕν· ἡ δὲ ἀφ' ἑνὸς τὰ πολλά· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ περιέχοντος τὸ περιεχόμενον· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ περιεχομένου τὸ περιέχον.* Quae omnia in suum usum convertit anonymus *περὶ τρόπων* p. 718. 719. Sed quamquam non malo iudicio pleraque illa composita sunt et coacervata, tamen ad simplicem ac veram rei rationem explicandam non multum valent: quid? quod nonnulla eo nos possint adducere, ut synecdochen ab metonymia non disparandam esse existimemus. At qui diligentius paulo ad originem vocabuli antiquorumque grammaticorum usum animum attenderit, et rhetorum interpretatio supra proposita quid sibi velit intelliget nec lubricum eius in sin-

gulis verbis usum esse iudicabit. V. Sext. Empir. Πυῤῥων. ὑποτυπ. 1, 25 p. 50: οὕτω δὲ φερόμεθα καὶ ὅταν λέγωμεν „πάντα ἐστὶν ἀκατάληπτα." καὶ γὰρ τὸ πάντα ὁμοίως ἐξηγούμεθα, καὶ τὸ ἐμοὶ συνεκδεχόμεθα. Ibid. 1, 27 p. 51: ὅταν δὲ λέγωμεν „παντὶ λόγῳ λόγος ἴσος ἀντίκειται" — τὸ ἀντίκειται λαμβάνομεν ἀντὶ τοῦ μάχεσθαι κοινῶς; καὶ τὸ „ὡς ἐμοὶ φαίνεται" συνεκδεχόμεθα. Videlicet primarium in hac causa illud est, quod vocabula ea, quae per synecdochen usurpantur, suam ac propriam significationem minime amittunt, sed ad illam novam quandam assumunt et asciscunt. Deinde quicquid cogitando adiicitur, non temere adiicitur, non operosius curiosiusque petitur et adiungitur, sed sua sponte sese obtulit commentanti, utpote cum re ipsa, qua de agitur, coniunctissimum quodque sine ea sit nullum. Itaque per synecdochen nec unum aliquod genus alteri cuipiam generi, neque una aliqua generis cuiuspiam pars alteri cuipiam eiusdem generis parti, neque res effectae ab efficientibus causis rebus efficientibus cogitando adiungi poterunt: nam in eiusmodi rebus similibusque non intellectio quaedam, sed immutatio et permutatio rerum verborumque fieri merito credebatur: sed aut totum aliquod sive genus intelligitur ex parte aliqua specieve maiore, aut ex toto aliquo sive genere singularis quaedam pars speciesve circumscribitur.

Postremo dicendum de metonymia, quam qui supersunt artis rhetoricae grammaticaeque scriptores ita definierunt, ut quantumvis discrepare videantur in singulis rebus, universam tamen, quae subiecta vocabulo est, notionem satis aperiant. Primo loco appellandus esse videtur, quem saepe iam laudavimus, Trypho Walzii l. c. p. 739, 2: μετωνυμία ἐστὶ λέξις ἀπὸ τοῦ ὁμωνύμου τὸ συνώνυμον δηλοῦσα. Cuius vestigia legerunt anonymus περὶ τρόπων apud Walzium l. c. p. 717, 13 et Georgius Choeroboscus περὶ τρόπων ibid. p. 811, 21. Iam ne quis haereat in explicandis vocabulis τὸ συνώνυμον et τὸ ὁμώνυμον, secundum plurimorum veterum grammaticorum usum verba ὁμώνυμα appellantur, quae non unam tantum rem denotant, sed ad plures delata sunt, συνώνυμα autem ea, quae rem aliquam designant, quae altero quodam vocabulo proprio appellari potest. Haec, quum lexica nos nostra, ut fieri solet in hisce rebus, destituant, paucis iisque selectis confirmabimus optimorum in hoc genere scriptorum exemplis. Vide Theonis προγυμνάσματα c. 4, 18: ὁμώνυμα δέ ἐστιν, ὧν φωνὴ μὲν καὶ ὄνομα τὸ αὐτό, ἕτερον δὲ τὸ σημαινόμενον ὑπὸ τῆς φωνῆς, οἷον παῖς· σημαίνει γὰρ καὶ τὸν υἱὸν καὶ τὸν καθ' ἡλικίαν παῖδα καὶ τὸν δοῦλον. Lexicon Gudian. p. 429, 35: ὁμώνυμόν ἐστιν, ὅταν δύο πράγματα μόνῳ τῷ ὀνόματι κοινωνοῦσιν. Eustath. ad Il. p. 39, 22 sqq.: ὡς τις ξενίζων μὲν πλείστους, οἰκίας δὲ μὴ τοσαύτας ἔχων, ὑφ' ἑνὶ σταθμῷ πλείους καταλύειν ἀφίησιν, οὕτω καὶ περὶ ὀνοματοθεσίαν ἠσχολημένος τις πολλάκις ὀνόματι ἑνὶ πρωτοθέτῳ πολλὰ ὑπήγαγεν ἕτερα λαλοῦντα καθ' ὁμωνυμίαν εἰς ἕν. Apollon. Dyscol. περὶ συντάξεως 1, 12 p. 41, 4: ἐν τοῖς κυρίοις ὀνόμασι παρεμπίπτει ἡ ὁμωνυμία, ἧς τὸ ἀμφίβολον οὐκ ἀπολύεται δίχα τῆς ἐπιτρεχούσης τὰ ὀνόματα ἐπιθετικῆς προσθέσεως, ὡς φαμεν Τρύφων ὁ γραμματικός, —, καὶ οὕτω τὰ κύρια ὑπεκλύεται τῆς εἰς πλείονα πρόσωπα συντεινούσης ἐννοίας. Ibid. 1, 37 p. 73, 28 sqq.: εἰ μέντοι γε μόνον παραλαμβάνοιτο

τὸ τίς, οἷον τέ ἐστι καὶ τὰ ὑπόλοιπα ῥήματα συντάσσεσθαι, τίς περιπατεῖ; τίς ἀναγινώσκει; ἐφ' ὧν ἀνθυπαγωγὴ γινομένη, διὰ μὲν ἀντωνυμίας οὐκέτι δέεται ἑτέρας πεύσεως, εἰ φαίημεν ἐγὼ ἢ οὗτος — ὡρισμένα γὰρ πρόσωπα ἐμφαίνει —, ἐπὶ δὲ ὀνομάτων διὰ τὴν παρεπομένην ὁμωνυμίαν οὐκ ἐν τῷ αὐτῷ ὁρισμῷ ἀνθυπάγεται ἡ σύνταξις. φαμένου γάρ τινος Αἴας, ἀνθυπαχθήσεται ὁπότερος; διὰ τὴν ὁμωνυμίαν. Alterum vocabulum descripsit Dionysius Thrax Grammat. §. 14, p. 636, 29: συνώνυμον δέ ἐστι τὸ ἐν διαφόροις ὀνόμασι τὸ αὐτὸ δηλοῦν, οἷον ἄορ, ξίφος, μάχαιρα, σπάθη, φάσγανον. Adde Apollonium Dysc. περὶ συντάξεως 3, 4 p. 199, 25 sqq.: τὸ "νεφέλη δέ μιν ἀμφιβέβηκε κυανέη, τὸ μὲν οὔ ποτ' ἐρωεῖ" πρὸς γὰρ τὸ συνώνυμον τοῦ νέφους ἀπήντηκε. καὶ ἔτι ἐπὶ πλήθους "ἢ μάλα δὴ τάδε δώματα καλ' Ὀδυσῆος· οὐκ ἄν τίς μιν ἀνὴρ ὑπεροπλίσσαιτο" πρὸς γὰρ τὸ συνώνυμον τοῦ οἴκου παρείληπται. Ibid. 1, 43 p. 86, 23: τὸ παρεγένετο ὁ γραμματικὸς ὃς διελέξατο δυνάμει τὸ αὐτὸ ἀποτελεῖ τῷ ὁ γραμματικὸς παρεγένετο καὶ διελέξατο, ἐγγιζούσης καὶ τῆς ὀνομασίας τῶν μορίων· τὸ γὰρ συνηρτῆσθαι καὶ συνδεδέσθαι οὐ μακρὰν τῆς συνωνυμίας πέπτωκεν. Ib. 1, 37 p. 72, 25: μετὰ ῥήματος τοῦ ὀνομάζεται ἢ ἔστιν ἤ τινος τῶν συνωνυμούντων. Cfr. 2, 2 p. 97, 28. 3, 15 p. 238, 19. 3, 31 p. 280, 17. 4, 10 p. 335, 27. p. 336, 8. Et περὶ ἀντωνυμ. p. 108. B. 10. Sed uberrima est de hoc vocabulo Simplicii disputatio in Aristot. Categ. p. 4. *b.* = 43. *a.* 7: οἰκειοτέρως δὲ ὁ Ἀριστοτέλης συνώνυμα κέκληκε τὰ σὺν τῷ ὀνόματι καὶ τὸν ὁρισμὸν ἔχοντα τὸν αὐτόν, ἤπερ οἱ Στωϊκοὶ τὰ πολλὰ ἅμα ἔχοντα ὀνόματα, ὡς Πάρις καὶ Ἀλέξανδρος ὁ αὐτός, καὶ ἁπλῶς τὰ πολυώνυμα λεγόμενα· τούτοις γὰρ ἡ σύν πρόθεσις οὐχ ἁρμόττει τοῦ αὐτοῦ κοινωνίαν σημαίνουσα, ὡς τὸ συμπεριπατεῖν καὶ συστρατεύεσθαι. ἀπεῖδον δὲ ἴσως εἰς τὸ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματα εἶναι· καὶ γὰρ καὶ ὁ Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ ποιητικῆς συνώνυμα εἶπεν εἶναι ὧν πλείω μὲν τὰ ὀνόματα, λόγος δὲ ὁ αὐτός, οἷα δή ἐστι τὰ πολυώνυμα, τό τε λώπιον καὶ ἱμάτιον καὶ τὸ φᾶρος. ἀλλ' οὐδὲν ἄτοπον, φησὶν ὁ Πορφύριος, τῆς χρήσεως τὸ διττὸν ἐχούσης χρήσασθαι τὸν Ἀριστοτέλη ἑκατέρῳ, ἐπειδὴ καὶ ἔχει τινὰ λόγον ἑκάτερον. καὶ γὰρ τὰ πλείω ὀνόματα πρὸς ἓν φερόμενα, ὡς ὁ κίων καὶ ὁ στῦλος, τὸν αὐτὸν ἔχοντα λόγον συνώνυμα ἂν κληθείη. καὶ μέντοι ὅπου ὁ λόγος ὁ αὐτὸς καὶ τὸ ὄνομα συνονομάζεται, ἔτι κυριώτερον ἂν κληθείη συνώνυμα, ὥστε τὸ μέν ἐστι συνώνυμον, ἐπεὶ πολλὰ ὀνόματα ἕν τι πρᾶγμα συνονομάζει, τὸ δὲ, ἐπεὶ καὶ τὸν λόγον συνονομάζει καὶ τοὔνομα. Alia praebent Neophytus Θεοδώρου γραμματικῆς εἰσαγωγῆς τῶν εἰς τέσσαρα εἰς τὸ τέταρτον ὑπόμνημα. Βουκουρεστίῳ. ͵αψξή. p. 224 sqq., Daniel Monachus Ἑρμηνεία εἰς τὸ τέταρτον τῆς τοῦ Θεοδώρου τοῦ Γαζῆ γραμματικῆς. Ἐνετίῃσιν. ͵αωδ'. p. 124 sq., Biese Phil. des Aristot. 1, p. 49. sq. 101. sq. et Lersch. Sprachphil. der Alten 2, 87 sq. 117 sq. Haec igitur ad Tryphonis de metonymia disputationem conferentibus ea fere illius praecepti manifesta videbitur esse vis et potestas, ut per metonymiam in locum vocabuli cuiusdam alterum quoddam succedat, quod praeter eius rei significationem, in qua illud est proprium, alias quoque complectitur. In qua descriptione si quid inest, quod minus distincte definitum esse videatur, damnum facile sarcitur eo, quod quae sub unum vocabulum subiectae sunt notiones, fieri non potest, quin aliqua inter se cognatione contineantur. Itaque satis

perspicuum est, ab Tryphone non re, sed verbis discedere eius descriptionis auctorem, quam protulit Cocondrius περὶ τρόπων ap. Walzium l. c. p. 786, 11: μετωνυμία δέ ἐστιν λέξις ἀντὶ ἑτέρας λέξεως παραλαμβανομένη, κατά τινα κοινωνίαν τῶν πραγμάτων. Ad huius similitudinem proxime accedit Gregorius Corinthius περὶ τρόπων l. c. p. 770, 16: μετωνυμία ἐστὶ μέρος λόγου ἐφ' (ab Walzio perperam editum est ἀφ') ἑτέρου μέν τινος κυρίως κείμενον, ἕτερον δὲ σημαῖνον κατὰ τὸ οἰκεῖον. Nam quod adiectum est κυρίως κείμενον, idem voluit certe Cocondrius; deinde κατὰ τὸ οἰκεῖον nihil fere est nisi κατά τινα κοινωνίαν τῶν πραγμάτων. V. Apollon. Dysc. περὶ ἀντων. p. 69. A. 1: ἡ μὲν γενικὴ τῇ δοτικῇ ᾠκείωται, ἡ δὲ αἰτιατικὴ τῇ εὐθείᾳ οὕτως, ὥστε καὶ ἐν δυικοῖς ἅπασι συνεμπίπτειν, καὶ καθ' ἑνικὰς ἐκφοράς, ὡς ἐπὶ οὐδετέρων, καὶ κατὰ πληθυντικάς, ὡς ἐπὶ τῶν συνῃρημένων πληθυντικῶν, quocum conferas eiusd. περὶ συντ. 2, 13 p. 120, 17: μετίῃ δὲ (ἡ εὐθεῖα) ἐπὶ τὴν συγγενῆ αἰτιατικήν, ᾗ καὶ συνυπάρχει καὶ συνεμπίπτει ἐν δυικοῖς καί τισι τῶν πληθυντικῶν καὶ ἐν ἅπασιν οὐδετέροις. Itaque secundum Cocondrii Gregoriique Corinthii doctrinam per metonymiam transfertur vocabulum in alterius cuiusdam eiusque proprii vocabuli locum propter quandam notionum cognationem sive necessitudinem. Quod praeceptum quibus ex fontibus sit derivatum, patet ex libro ad Herennium 4, 32, 43: *denominatio est, quae a propinquis et finitimis rebus trahit orationem, qua possit intelligi res, quae non suo vocabulo sit appellata.* Indidem desumpta sunt, quae recentiores grammatici latini praeceperunt, velut Sosipater Charisius p. 162 L. (244 P.): *μετωνυμία est dictio ab aliis significationibus ad aliam proximitatem translata.* Isidorus Orig. 1, 36, 8 p. 56 L.: *Metonymia est transnominatio ab alia significatione ad aliam proximitatem* (alii: *proximitate*) *translata.* Claudius Sacerdos 1, 175 p. 113: *metonymia est oratio ab aliqua propria significatione ad propriam proximitatis interpretatione descendens,* quae quomodo emendanda sint, in aperto est. At fuerunt propter rationem necessitudinis satis ambiguam quibus certioribus terminis circumscribenda esse videretur metonymia. Ita Cicero Orat. 27, 92: *mutata* (verba ea dico) *in quibus pro verbo proprio subiicitur aliud, quod idem significet, sumptum ex re aliqua consequenti.* Atque Quinctilianus Inst. or. 8, 6, 23: *nec procul ab hoc genere* (ab synecdoche) *discedit μετωνυμία, quae est nominis pro nomine positio, cuius vis est, pro eo, quod dicitur, causam, propter quam dicitur, ponere.* Consequentia autem appellantur aut ea, quae rem necessario consequuntur (ut Ciceronis utar verbis Topic. 12, 53), ita ut opposita iis sint antecedentia, aut ea, quae adeo cum re coniuncta sunt, ut necessario aut consequantur eam aut antecedant: quo facto antecedentia in consequentibus comprehenduntur. V. Spalding ad Quinctil. 5, 8, 5 T. II, p. 215. Itaque aperta sunt Ciceronis verba: Quinctiliani non item. Certe Spaldingius ex verbis *cuius vis est, pro eo, quod dicitur, causam, propter quam dicitur, ponere* idoneum sensum affirmavit erui posse nullum glossamque ea esse censuit allitam ab eo, qui vulgarem metonymiae definitionem (*causa pro effectu*)

vellet quidem nec posset tamen eloqui. At eius tamen iudicio nec Zumptius nec Bonnellus stare videntur, quorum ille neque in maiore editione T.V, p.385 nec in minore p.364 quicquam de his rebus disputavit, alter in Lexico Quinctilianeo ipsis illis, quae in suspicionem venerant Spaldingio, verbis aliquoties usus est ita, ut nullus scrupulus de eorum integritate resedisse videatur. Nec immerito. Nam primum illud *dicitur*, in quo haerebat ille, non est profecto idem, quod *dici debet*, sed est fere: *intelligitur*; quae quidem verbi vis in certis quibusdam enuntiatorum formis frequentissima est. Deinde minime strictius intelligenda videtur esse *causa*, ut in illo: *causa pro effectu*, sed longe lateque diffusa est notio, ut omnes illas partes comprehendat, quas proxima disputatione percensuit Quinctilianus. Quae quum ita sint, licet nec omnibus numeris absoluta nec admodum laudanda sit explicatio, tamen ferenda certe erit, nec omnino ab scriptore illo abiudicanda esse videbitur. — Reliquum est, ut quae huic generi subiectae sint formae, paucis comprehendam; in quo illud nos statim advertit, quod quicquid discrepant scriptores in re describenda, una eademque fere omnes utuntur partiendi ratione, ita tamen ut non apud omnes idem sit partium numerus. Alii enim duo, alii quattuor, alii quinque, alii sex, alii septem recensent modos. Primum genus illud est, quo per id, quod continetur, illud significatur, quod continet; quod genus describitur ab auctore libr. ad Herenn. 4, 32, 43, Quinctiliano 8, 6, 24. 25, Charisio p. 162 L. p. 244 P., Diomede p. 452, Donato p. 33 L. p. 1776 P., Claudio Sacerdote 1, 175 p. 43, Festo p. 170 L., Isidoro Orig. 1, 36, 8 p. 56. L., Cocondrio p. 786. Alterum est, quo per id, quod continet, illud significatur, quod continetur, quod ab iisdem auctoribus praeter Charisium commemoratur. Tertio per inventorem id significatur, quod inventum est, quod commendant auctor librorum ad Herenn. l. c., Donatus, Sacerdos, Isidorus, Trypho p. 739, Cocondrius. Cui oppositum est quartum, quo per id, quod inventum est, significatur inventor; quod ab iisdem commemoratur praeter Sacerdotem, apud quem eius rei memoria casu excidisse videtur. Sed utrumque illud genus fuerunt, qui aliquanto auctius et ornatius descriptum expromerent, velut Quinctilianus 8, 6, 23: *haec* (*μετωνυμία*) *inventa ab inventore et subiecta ab obtinentibus significat* —, *quod fit retro durius*. Charisius l. c. et Diomedes l. c.: *per inventorem dominantemve inventum subiectumve*, et: *per inventum subiectumve inventorem dominantemve*. Quibuscum coniungenda, quae sunt apud Cocondrium p. 786: *ἀπὸ τοῦ κυριεύοντος τὸ κυριευόμενον*, et apud Quinctilianum 8, 6, 25: *a possessore quod possidetur*. Quid? quod ne illud quidem alienum est, quod praecepit Festus l. c.: *a superiore inferior, ut Ennius: cum magno strepitu Volcanum ventus vegerat. Ab inferiore superior, ut: persuasit animo vinum deus qui multo est maximus*. Nec illud, quod est apud scr. l. ad Herenn. 4, 32, 43: *aut ab instrumento dominum, ut si quis Macedonas appellarit hoc modo: non tam cito sarissae Graecia potitae sunt*. Quintum genus, quo per id, quod efficitur, illud significatur, quod efficit, adest apud scriptorem l. ad

Her. l. c., Quinctilianum, Charisium, Diomedem, Sacerdotem, Isidorum. Sextum, quo ab *eo*, qui facit, significatur id, quod efficitur, apud eosdem auctores praeter Quinctilianum. Ceterum non his tantum modis fieri posse metonymiam, licet sint frequentissimi illi, et manifestum per se est nec ab antiquis scriptoribus praetermittitur. Velut Donatus l. c. quum multas esse dixisset eius generis species quattuorque et verbis explicasset et exemplis illustrasset, *haec*, inquit, *exempli causa diligentius posita etiam reliqua demonstrabunt*.

His expositis, quae cogi possit summa disputationis, in aperto est. Metaphorae proprium est, ut propter similitudinem transferantur vocabula ex loco proprio in alium quendam, qui quasi quadam imagine eius rei, unde sumpta translatio est, exornetur et illustretur. Catachresis proprium illud, ut ea res, cui vocabulum alienum accommodatur, praeter expectationem et non sine quadam licentia ex alterius rei propinquae notione designetur atque denominetur. Per similitudinem vocabulum non in alterius cuiusdam stationem quasi succedit, sed illustrandi causa adiicitur ante posito. Per synecdochen quae ponuntur vocabula, nequaquam suam notionem amittunt, sed ad eam assumunt alteram quandam, quae cum illa coniunctissima sit necesse est. Per metonymiam denique quae usurpantur vocabula, non eo consilio ponuntur, ut eam, quae iis subiecta proprie est, afferant notionem, sed ut animum per quandam necessitudinis rationem ad rem cognatam deducant, quam solam oratio desiderat.

Ex his aut fallimur aut satis commode iudicare licet, utrum quicunque apud veteres scriptores reperiuntur tropi, ad metaphoram referendi sint an ad aliud quodpiam genus. Quae quum ex antiquorum artis scriptorum praeceptis desumpta ac derivata sint omnia, recentiorum de his rebus doctrinam praetermittendam esse putavi, non quo contemnerem ac reiicerem, quae a viris praestantissimis in hac causa disputata sunt, sed quod, ubi de antiquis scriptoribus iudicium ferendum est, quaecunque in controversiam veniunt, ad regulam eam, quae ab illis ipsis eorumque aequalibus examinata et probata est, exigere et explorare aequissimum duxerim tutissimumque.

Eandem, si fieri possit, legem age sequamur in partibus metaphorae, in qua sola nostra versabitur oratio, constituendis, de quibus miro consensu disputaverunt grammatici antiqui. Quattuor enim propemodum omnes harum rerum auctores metaphorae constituerunt partes. V. Tryph. l. c. p. 730, 2: *γίνεται δὲ ἡ μεταφορὰ τετραχῶς, ἀπὸ ἐμψύχων ἐπὶ ἔμψυχα —, ἀπὸ ἀψύχων ἐπὶ ἄψυχα —, ἀπὸ ἐμψύχων ἐπὶ ἄψυχα —, ἀπὸ ἀψύχων ἐπὶ ἔμψυχα —.* Cum quo iterum coniungamus Quinctilianum Inst. 8, 6, 9, 10: *huius vis omnis quadruplex maxime videtur: quum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur. — Inanima pro aliis generis eiusdem sumuntur —, aut pro rebus animalibus inanima — aut contra —.* Eadem praecipiunt Anonymus περὶ τρόπων l. c. p. 715 sq., Cocondrius p. 785, Choeroboscus p. 804, l. 12, Donatus p. 32. 33 L. p. 1775 P., Charisius p. 161. 162 L. p. 243 P., Diome-

des p. 451. P., Claudius Sacerdos 1, 173 p. 43, Isidorus Orig. 1, 36, 3 p. 55. 56 L. Nec aliud partitionis genus significare videtur voluisse Hermogenes περὶ εὑρέσεων 4, 10, quibus verbis utebamur pag. 3. Ab horum omnium consensu perpauci discesserunt, inter quos primo loco commemorandus est anonymus ille, ex cuius περὶ τρόπων disputatione brevis lacinia superest apud Walzium l. c. T. VIII, p. 779 sqq. Is igitur p. 780, 24: ἔτι, inquit, τῶν μεταφορῶν αἱ μὲν ἀπὸ πράξεως εἰς πρᾶξιν μεταφέρονται, αἱ δὲ ἀπὸ σώματος ἐπὶ σῶμα· ἀπὸ μὲν οὖν σώματος ἐπὶ σῶμα, ὡς τό „Αἴας δὲ πρῶτος Τελαμώνιος, ἕρκος Ἀχαιῶν" (vid. Il. ζ, 5), ἀπὸ δὲ πράξεως εἰς πρᾶξιν, ὡς τὸ ὑφαίνειν τὸ βουλεύεσθαι. Hunc similemve auctorem sequutus est et is, qui Choerobosci illi de quattuor translationis modis praecepto p. 804, 12: ἔχει δὲ εἴδη δ', adscripsit haec p. 806, 6: ἔστι δὲ καὶ πέμπτον εἶδος μεταφορᾶς ὡς ἀπὸ πράξεως εἰς πρᾶξιν, οἷον „ἤδη πού τινα κεῖνος ἐνὶ φρεσὶ μῆτιν ὕφαινε." τὸ γὰρ ὑφαίνειν ἐπὶ τῶν ὑφασμάτων λεγόμενον νῦν ἐπὶ τὴν τῆς βουλῆς κατασκευὴν μετενήνεκται, et Gregorius Corinthius, qui l. c. p. 765, 9 τῶν δὲ μεταφορῶν, inquit, εἴδη ἐστὶ πέντε, quo facto praeter quattuor illas Tryphonis species quintam commemoravit: ἀπὸ πράξεως ἐπὶ πρᾶξιν. Sed hi profecto pessimo usi sunt consilio, scilicet integro et perfecto corpori alieni corporis particulam annectentes. Nam quae huic formae: ἀπὸ πράξεως ἐπὶ πρᾶξιν subiici possunt exempla, eadem cadunt omnino sub eas, quae supra commemoratae sunt. Scriptor autem anonymus ille sive is, cuius vestigia legit, non id egisse videtur, ut suppleret et absolveret reliquorum grammaticorum praecepta, sed novam iniri posse putabat viam, ut disiungerentur translationes eae, quae fierent in vocabulis hominum, animalium, rerum (ἀπὸ σώματος), et eae, quae essent in vocabulis actionem significantibus, sive nominibus sive verbis (ἀπὸ πράξεως). Ceterum tertiam quandam apud grammaticos in usu fuisse translationum distributionem, ex extrema eiusdem scriptoris disputatione intelligitur ibid. p. 781, 9: ἔτι τῶν μεταφορῶν αἱ μὲν ἀπὸ γένους ἐπὶ γένη μεταφέρονται· „νηῶν ὠκυπόρων ἐπιβαινέμεν, αἵθ' ἁλὸς ἵπποι ἀνδράσι γίνονται —." ἵππους μὲν εἴρηκε κατὰ μεταφορὰν τὰς ναῦς· ὥσπερ γὰρ ἐπὶ τῆς γῆς διὰ τῶν ἵππων ὀχούμεθα, οὕτως ἐπὶ τῆς θαλάσσης διὰ τῶν νεῶν κουφιζόμεθα. Reliqua desiderantur, ac sane quid addiderit scriptor, incertum est, nisi forte ad Aristotelis, de qua in principio loquuti sumus, doctrinam deflexit. Sed et haec satis erit attigisse et illud, quod multi grammaticorum distinguebant metaphoras ἀκολούθους et ἀνακολούθους, sive ἀντιστρεφούσας et οὐκ ἀντιστρεφούσας, sive *communes* et *non communes*, sive *reciprocas* et *unius partis*. Vide Donatum, Charisium, Diomedem, Isidorum, Anonymum p. 780, 29. Nam his rebus certe non multum iuvabimur. Sed revertendum erit ad illud, quod primo loco commemoravimus, praeceptum; quod quum per tot secula ab doctissimis tot viris usurpatum fuerit et probatum, utrum omnes quotquot accidere intelligique possunt metaphorae ad illas partes referantur commode necne, iam paucis erit dispiciendum. In quo illud primum cavendum est, ne quis nomina tantum substantiva partibus hisce subiungi posse existimet. Veteres certe artis scriptores praeter haec suo iure et adiectiva et verba

ad eandem formulam redigere consuerunt. Velut anonymus *περὶ τρόπων* l. c. p. 716, 6 sq.: *ἀπὸ ἀψύχου εἰς ἄψυχον· οἷον — εἰ λέγει τις, ὅτι διεχεῖτο ἡ φλόξ· τὸ γὰρ διαχεῖσθαι κυρίως τοῖς ὑγροῖς συμβαίνει, ἀφ' ὧν μεταφορικὰ καὶ ἐπὶ τοῦ πυρὸς λαμβάνεται. ἀπὸ δὲ ἀψύχου εἰς ἔμψυχον· οἷον εἴ τις ἀδαμάντινον λέγει τὸν ἀνδρεῖον καὶ ἀνένδοτον· ὁ γὰρ ἀδάμας ἄψυχον, ὁ δὲ ἄνθρωπος ἔμψυχος.* Deinde quaecunque animo concipi et cogitatione comprehendi possunt, omnia contineri necessario illa rerum animalium et inanimarum partitione quis est, qui negaverit? Itaque ab quadripartita illa distributione nihil erit, cur discedamus, nisi quod singula genera in suas quaeque partes diligentius, quam ab antiquis in hac causa factum esse accepimus, describenda erunt et disterminanda.

Atque primum genus translationum, quod est, quum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur, tres habet partes has:

1) vocabula, quae propria sunt in hominibus, transferuntur in bestias;
2) vocabula, quae propria sunt in bestiis, transferuntur in homines;
3) vocabula, quae propria sunt in certis quibusdam bestiis, transferuntur in alias bestias.

Alterum genus est, quum verba, quae propria sunt de rebus animalibus, transferuntur in inanimas; cuius generis tres item sunt partes:

1) vocabula, quae propria sunt in hominibus bestiisque, transferuntur in res inanimas, quae sunt in rerum natura;
2) vocabula, quae propria sunt in hominibus bestiisque, transferuntur in res inanimas, quae hominum manu, opera, consilio factae sunt;
3) vocabula, quae propria sunt in hominibus bestiisque, transferuntur in res, quae sub sensus non cadunt, sed animo tantum et cogitatione formantur et comprehenduntur.

Tertium genus est, ubi verba de inanimis rebus propria transferuntur in homines bestiasque; assunt tres species hae:

1) vocabula, quae propria sunt in rebus, quae sunt in rerum natura, transferuntur in homines bestiasque;
2) vocabula, quae propria sunt in rebus, quae hominum manu, opera, consilio factae sunt, transferuntur in homines bestiasque;
3) vocabula, quae propria sunt in rebus, quae animo tantum et cogitatione humana formantur, transferuntur in homines bestiasque.

Quartum genus, quo inanima pro aliis eiusdem generis sumuntur, novem comprehendit partes, ita tamen, ut ternae in orbem fere coeant:

1) vocabula, quae propria sunt in certis quibusdam rebus, quae sunt in rerum natura, transferuntur in alias res eiusdem generis;
2) vocabula, quae propria sunt in rebus, quae sunt in rerum natura, transferuntur in res, quae hominum opera factae sunt;

3) vocabula, quae propria sunt in rebus, quae sunt in rerum natura, transferuntur in res, quae cogitatione humana formantur;
4) vocabula, quae propria sunt in certis quibusdam rebus, quae hominum opera factae sunt, transferuntur in alias res eiusdem generis;
5) vocabula, quae propria sunt in rebus, quae hominum opera factae sunt, transferuntur in res, quae sunt in rerum natura;
6) vocabula, quae propria sunt in rebus, quae hominum opera factae sunt, transferuntur in res, quae cogitatione humana formantur;
7) vocabula, quae propria sunt in certis quibusdam rebus, quae cogitatione tantum humana formantur, in alias eiusdem generis res transferuntur;
8) vocabula, quae propria sunt in rebus, quae cogitatione humana formantur, in res, quae sunt in rerum natura, transferuntur;
9) vocabula, quae propria sunt in rebus, quae cogitatione humana formantur, in res, quae hominum opera factae sunt, transferuntur.

Et his quidem locis quae contineantur partes, mox ubi de *singulis erit dispiciendum*, uberius explanabimus; illud vero hoc ipso loco praetermittendum non est, quod quamquam in nominibus substantivis maxima cernitur translationis vis et potestas, in reliquis tamen, in quae cadit illa, vocabulorum generibus saepe plurimum et ipsa confert ad perspicuitatem, dignitatem, splendorem orationis. Quadrant haec potissimum in verba, quae quum aut actionem aut passionem designent, si diligentius consideraveris, hominum, bestiarum, rerumque anima carentium omnino propriam, ubi sermoni interponuntur, sive hominis sive bestiarum sive rerum, quarum sunt propria, quasi imaginem repraesentant et ob oculos ponunt.

CAPUT II.

VETERUM SCRIPTORUM DE TRANSLATIONUM USU PRAECEPTA.

De translationum usu apud veteres artis rhetoricae scriptores perpauca exstant praecepta; quippe quum omnis propemodum illarum ratio ad consuetudinem hominum eruditissimorum tuto referri revocarique posset, quid opus erat longa et ambitiosa doctrinae explicatione? Ac profecto quicquid vitandum erat, ne translata oratio non perspicua, non ornata, non apta fieret, paucis licebat comprehendere. Nam primum quum omnis translationum virtus videretur verti in rerum comparatarum similitudine, necessario praecipiendum erat, id quod factum esse videmus a Cicerone de orat. 3, 40, 162, a Quinctiliano 8, 6, 16, a Demetrio περὶ ἑρμηνείας c. 78 p. 38 ed. Walz, quantopere fugienda esset dissimilitudo. Deinde ne sermonis perspicuitati obesset translatio, illud cavendum erat, ne longe simile videretur esse ductum, neve durior ob eam rem haberetur translatio. Hoc genus notavit iam Aristoteles Rhet. 3, 3 p. 1406. *b*. 8: ἀσαφεῖς δὲ (αἱ μεταφοραί), ἂν πόῤῥωθεν. Deme-

trius l. c. c. 78 p. 38: *πρῶτα μὲν οὖν μεταφοραῖς χρηστέον — μήτε μὴν πόρρωθεν μετενηνεγμέναις, ἀλλ' αὐτόθεν καὶ ἐκ τοῦ ὁμοίου.* Adde Cic. de or. 3, 41, 163. Quinctil. 8, 6, 17. Cur. Fortunatian. art. rhet. schol. p. 72 ed. Pith. In quo genere illud scite notavit Cicero l. c., *quod facilius ad ea, quae visa, quam ad illa, quae audita sunt, mentis oculi feruntur.* Ceterum cum illo praecepto coniunctum est, quod Cicero l. c. 3, 41, 165 monuit, *verecundam debere esse translationem, ut deducta in alienum locum non irruisse, atque ut precario, non vi venisse videretur.* Quodsi paulo durior esse videretur, *molliendam esse praeposito verbo: ut ita dicam,* aliisque id genus adminiculis quasi fulciendam. V. Longin. *περὶ ὕψους* c. 32: *ὁ μὲν Ἀριστοτέλης καὶ ὁ Θεόφραστος μειλίγματά φασί τινα τῶν θρασέων εἶναι ταῦτα μεταφορῶν τὰ ὡσπερεὶ φάναι καὶ οἱονεὶ καὶ εἰ χρὴ τοῦτον εἰπεῖν τὸν τρόπον καὶ εἰ δεῖ παρακινδυνευτικώτερον λέξαι. ἡ γὰρ ὑποτίμησίς φασιν ἰᾶται τὰ τολμηρά.* Consentiebant alii, ut Curius Fortunatianus l. c. p. 72. Insuper gravissimis verbis veteres reprehendebant translationem turpem deformemque; ac verissime profecto Cicero de orat. 3, 41, 163: *fugienda est,* inquit, *omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audiunt, trahit similitudo.* Ciceronis vestigia legit Quinctilianus l. c. 8, 6, 15. Praeterea nolebant verbum translatum aut maius esse quam res postularet aut minus, nolebant illud angustius esse, quam fuisset proprium ac suum. V. Cic. de orat. 3, 41, 164. Quinctil. 8, 6, 16. Ac profecto qui ab hoc praecepto discedi libere posse putaret, eius nec perspicua esset oratio nec ornata, nedum apta et decora. At vero etiamsi singulae quaeque translationes et satis similes essent nec longius sumptae nec turpes nec minus iustis circumscriptae terminis, non omnes tamen illae nec ubique commode opportuneque usurpari credebantur. Nam vitandam esse nimiam translationum copiam ad unum omnes praecipere consuerunt veteres. V. Demetrius l. c. c. 78 p. 38: *πρῶτα μὲν οὖν μεταφοραῖς χρηστέον, αὗται γὰρ μάλιστα καὶ ἡδονὴν συμβάλλονται τοῖς λόγοις καὶ μέγεθος, μὴ μέντοι πυκναῖς, ἐπεί τοι διθύραμβον ἀντὶ λόγου γράψομεν.* Quinctil. 8, 6, 14: *ut modicus atque opportunus eius usus illustrat orationem, ita frequens et obscurat et taedio complet: continuus vero in allegoriam et aenigmata exit.* Ibid. 8, 5, 34, quae verba et ad sententias et ad translationes referre licebit: *ego vero haec lumina orationis velut oculos quosdam esse eloquentiae credo. Sed neque oculos esse toto corpore velim, ne cetera membra officia perdant: et si necesse sit, veterem illum horrorem dicendi malim, quam istam novam licentiam.* Cic. de orat. 3, 25, 96: *ut oratio conspersa sit quasi verborum sententiarumque floribus, id non debet esse fusum aequabiliter per omnem orationem, sed ita distinctum, ut sint, quasi in ornatu, disposita quaedam insignia et lumina.* Curius Fortunat. l. c. p. 72: *quid aliud observabimus? Ut obscuritatem vitemus, quam creat multitudo et continuatio translationum. Cur ita? Quoniam propria auditor intelligit, de translatis suspicatur. Simul et translatum verbum si infrequentius positum fuerit et excitatius, dices insignius factum ac ma-*

gis notabile. Ceterum quum omnis translationum copia egressa modum vitiosa haberetur, tum maxime *in eadem specie* ne nimia esset, prudenter praecepit Quinctilianus 8, 6, 16. Deinde translationes non omnes in omnibus dicendi generibus habere locum inter omnes convenit. In quo genere illi maxime peccasse videbantur, qui poesis libertatem orationi vindicarunt. Hos perstrinxit praeter ceteros Quinctilianus 8, 6, 17: *in illo vero plurimum erroris, quod ea, quae poetis permissa sunt, convenire quidam etiam prosae putant.* Quibus verbis suae potissimum aetatis scriptores plerosque notavit, in quos saepe non iniuria invectus est vir prudentissimus, velut libri octavi prooemio §. 24. 25. 26: *et quod recte dici potest, circumimus amore verborum, et quod satis dictum est, repetimus: et quod uno verbo patet, pluribus oneramus: et pleraque significare melius putamus, quam dicere. Quid? quod nihil iam proprium placet, dum parum creditur disertum, quod et alius dixisset. A corruptissimo saepe poetarum figuras seu translationes mutuamur, tum demum ingeniosi scilicet, si ad intelligendos nos opus sit ingenio: — quibus sordent omnia, quae natura dictavit, qui non ornamenta quaerimus, sed lenocinia, quasi vero sit ulla verborum nisi rei cohaerentium virtus.* Deinde Cicero Orat. 25, 82 illud indecorum merito reprehendit, *quum verbum aliquod altius transfertur, idque in oratione humili ponitur, quod idem in alta deceret.* Quod praeceptum quamvis planum et rationi consentaneum esse videatur, tamen inter eos, qui eandem artem tractarunt, non defuerunt, qui aut nimio illud studio premerent aut in contrariam partem a vero aberrasse viderentur. Velut Aristides τεχνῶν ῥητορικῶν 2, 27 ap. Walz. Rhet. gr. Vol. IX, p. 465, 8: περὶ δὲ τῆς τροπῆς, inquit, τῆς παρὰ τοῖς συγγραφικοῖς τῶν ἀνδρῶν (solutae orationis scriptoribus) τοσοῦτον δεῖ εἰδέναι, ὅτι οὐκ ἀπὸ μεγάλων δεῖ οὐδὲ σεμνῶν τὰς τροπὰς λαμβάνεσθαι, ἀλλὰ μᾶλλον ἀπὸ τῶν φαυλοτέρων ἢ κοινοτέρων. Huic propemodum contraria sunt apud Longinum l. c. c. 32: πλήθους καὶ τόλμης μεταφορῶν — τὰ εὔκαιρα καὶ σφοδρὰ πάθη καὶ τὸ γενναῖον ὕψος εἶναί φημι ἴδιά τινα ἀλεξιφάρμακα· ὅτι τῷ ῥοθίῳ τῆς φορᾶς ταυτὶ πέφυκεν ἅπαντα τἆλλα παρασύρειν καὶ προωθεῖν, μᾶλλον δὲ καὶ ὡς ἀναγκαῖα πάντως εἰσπράττεσθαι τὰ παράβολα, καὶ οὐκ ἐᾷ τὸν ἀκροατὴν σχολάζειν περὶ τὸν τοῦ πλήθους ἔλεγχον, διὰ τὸ συνενθουσιᾶν τῷ λέγοντι. ἀλλὰ μὴν ἔν γε ταῖς τοπηγορίαις καὶ διαγραφαῖς οὐκ ἄλλο τι οὕτως κατασημαντικόν, ὡς οἱ συνεχεῖς καὶ ἐπάλληλοι τρόποι. Iam apponitur exemplum ex Platone petitum; mox sequuntur haec: ἀπόχρη δὲ τὰ δεδηλωμένα, ὥστε δεῖξαι, ὡς μεγάλαι τὴν φύσιν εἰσὶν αἱ τροπικαὶ καὶ ὡς ὑψηλοποιὸν αἱ μεταφοραί, καὶ ὅτι οἱ παθητικοὶ καὶ ἐκφραστικοὶ κατὰ τὸ πλεῖστον αὐταῖς χαίρουσι τόποι. Nempe Aristidi videbatur esse coercenda certisque terminis circumscribenda suorum aequalium in vocabulis transferendis levitas et audacia, Longinus in contemplandis elegantissimae artis exemplaribus versatus mirificam eius vim et potestatem definiebat. Sunt et alia in eadem causa veterum praecepta; sed ne iusto longius ab re proposita deducamur, id unum videamus, numquid veteres artis scriptores de translationum usu, qualis rerum scriptori decorus esset,

memoriae prodiderint. Et exstant profecto eius generis sive decreta sive praecepta, sed non ad eandem illa quidem omnia rationis normam directa. Nam alii historiae simplicissimam eloquutionem nec nimis floridis largisque distinctam coloribus vindicaverunt, alii negotium paene oratorium rati ne audaciores quidem translationes omnino spernendas esse censuerunt. Illud genus et apud antiquissimos quosque rerum scriptores reperitur, et recentiorum ut quisque maxime illorum sibi ad imitandum proposuit exemplar, ita diligentissime expressit. De Graecorum vetustissimis scriptoribus egregium est Dionysii Halicarnassensis iudicium in libro, qui est de Thucyd. charact. c. 23: *οἱ δὲ πρὸ τοῦ πελοποννησιακοῦ γενόμενοι πολέμου καὶ μέχρι τῆς Θουκυδίδου παρεκτείναντες ἡλικίας, ὁμοίας ἔσχον ἅπαντες ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ προαιρέσεις. — πάντες γὰρ οὗτοι — περὶ τὴν κυρίαν λέξιν μᾶλλον ἐσπούδασαν ἢ περὶ τὴν τροπικήν, ταύτην δὲ ὥσπερ ἥδυσμα παρελάμβανον. σύνθεσίν τε ὀνομάτων ὁμοίαν ἅπαντες ἐπετήδευσαν τὴν ἀφελῆ καὶ ἀνεπιτήδευτον, καὶ οὐδ' ἐν τῷ σχηματίζειν τὰς λέξεις τὰς νοήσεις ἐξέβησαν ἐπὶ πολὺ τῆς τετριμμένης καὶ κοινῆς καὶ συνήθους ἅπασι διαλέκτου. τὰς μὲν οὖν ἀναγκαίας ἀρετὰς ἡ λέξις αὐτῶν πάντων ἔχει· καὶ γὰρ καθαρὰ καὶ σαφὴς καὶ σύντομός ἐστιν, ἀποχρώντως σώζουσα τὸν ἴδιον ἑκάστης διαλέκτου χαρακτῆρα· τὰς δ' ἐπιθέτους, ἐξ ὧν μάλιστα διάδηλος ἡ τοῦ ῥήτορος γίνεται δύναμις, οὔτε ἁπάσας οὔτ' εἰς ἄκρον ἥκουσας, ἀλλ' ὀλίγας καὶ ἐπὶ βραχύ, ὕψος λέγω καὶ καλλιῤῥημοσύνην καὶ σεμνολογίαν καὶ μεγαλοπρέπειαν, οὐδὲ δὴ τόνον, οὐδὲ βάρος οὐδὲ πάθος διεγεῖροντα τὸν νοῦν, οὐδὲ τὸ ἐῤῥωμένον καὶ ἐναγώνιον πνεῦμα, ἐξ ὧν ἡ καλουμένη γίνεται δεινότης, πλὴν ἑνὸς Ἡροδότου.* Vid. ibid. c. 5. Alterum genus idem satis descripsit ib. c. 24 et in ep. de iis, quae Thucydid. propria sunt, c. 2: *Θουκυδίδης — ἰδιόν τινα χαρακτῆρα καὶ παρεωραμένον ἅπασι [οὔτε πεζὸν αὐτοτελῶς, οὔτ' ἔμμετρον ἀπηρτισμένως, κοινὸν δέ τι καὶ μικτὸν ἐξ ἀμφοῖν ἐργασάμενος] πρῶτος εἰς τὴν ἱστορικὴν πραγματείαν ἐσπούδασεν εἰσαγαγεῖν· ἐπὶ μὲν τῆς ἐκλογῆς τῶν ὀνομάτων τὴν τροπικὴν καὶ γλωττηματικὴν καὶ ἀπηρχαιωμένην καὶ ξένην λέξιν προελόμενος ἀντὶ τῆς κοινῆς καὶ συνήθους τοῖς καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώποις· ἐπὶ δὲ τῆς συνθέσεως τῶν τ' ἐλαττόνων καὶ τῶν μειζόνων μορίων τὴν ἀξιωματικὴν καὶ αὐστηρὰν καὶ στιβαρὰν καὶ βεβηκυῖαν καὶ τραχύνουσαν ταῖς τῶν γραμμάτων ἀντιτυπίαις τὰς ἀκοὰς ἀντὶ τῆς λιγυρᾶς καὶ μαλακῆς καὶ συνεξεσμένης καὶ μηδὲν ἐχούσης ἀντίτυπον· ἐπὶ δὲ τῶν σχηματισμῶν, ἐν οἷς μάλιστα ἐβουλήθη διενέγκαι τῶν πρὸ αὐτοῦ, πλείστην εἰσενεγκάμενος σπουδήν.* Et hoc quidem genus, quippe quod validissimum esset et commovendis oblectandisque hominum animis accommodatissimum, quum apud Graecos plurimos sui studiosos habuisset, licet non ad eandem similitudinis speciem conformatos, tum ab Romanis summo studio susceptum ac sane quam diligenter excultum est. Satis luculentum in hoc genere testimonium est Ciceronis, apud quem Attici haec leguntur verba de legg. 1, 2, 5: *abest historia litteris nostris, ut et ipse intelligo et ex te persaepe audio: potes autem tu profecto satisfacere in ea, quippe quum sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc oratorium maxime.* Sed unum omnium evidentissimum illud est, quod exstat apud eundem Orat. 19, 65 sq.: *Sophistarum — magis distinguenda similitudo*

videtur, qui omnes eosdem volunt flores, quos adhibet orator in causis, persequi. Sed hoc differunt, quod, quum sit iis propositum non perturbare animos, sed placare potius, nec tam persuadere quam delectare, et apertius id faciunt quam nos et crebrius, concinnas magis sententias exquirunt quam probabiles, a re saepe discedunt, intexunt fabulas, verba apertius transferunt, eaque ita disponunt, ut pictores varietatem colorum, paria paribus referunt, adversa contrariis, saepissimeque similiter extrema definiunt. Huic generi historia finitima est, in qua et narratur ornate et regio saepe aut pugna describitur: interponuntur etiam conciones et hortationes, sed in his tracta quaedam et fluens expetitur, non haec contorta et acris oratio. Ab his non multo secus quam a poetis haec eloquentia, quam quaerimus, revocanda est. Adde de orat. 2, 12, 51 sqq. Atque quae tradidit Cicero scribendae historiae praecepta, ea profecto observasse putandus est in iis libris, quos et latine et graece de consulatu suo composuit. Nam ad Atticum quidem scripsit 2, 1: *Meus autem liber* (graece de consulatu compositus) *totum Isocrati μυροθήκιον atque omnes eius discipulorum arculas ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit.* Scilicet placebat illi ἀνθηρογραφεῖσθαι et in geographicis libris (ad Att. 2, 6) et in historicis. Ac tanti viri et praecepta et exemplum fieri non potuit, quin plerique omnes, qui rerum gestarum memoriam litteris mandarunt, studiosissime sequerentur; itaque factum est, ut qui floruerunt posteriore aetate inter Romanos rerum scriptores, magis magisque deflecterent plerique ab insigni illa modestia C. Iulii Caesaris, qui et paucas et sat verecundas usurpaverat vocabulorum translationes. Sed manum de tabula.

CAPUT III.

VOCABULA RERUM ANIMALIUM PROPRIA IN RES ALIAS EIUSDEM GENERIS A CURTIO TRANSLATA.

His iactis fundamentis iam accedamus ad eam, quam nobis proposuimus, de curtiano translationum usu commentationem; qua quum et luculentissima quaeque vocabulorum translatorum apud Curtium exempla collecta et suo ordine distributa proposuero et collato optimorum quorumque in eodem genere scriptorum usu illustravero, tum licebit aestimare, quo nomine eius ingenium iudiciumque hac in causa aut laudandum esse videatur aut vituperandum. Ceterum eum sequemur disputationis ordinem, quem extremo capite primo delineavimus, ut quattuor translationum genera quattuor commentationis capitibus comprehendamus et si minus omni ex parte illustrata, certe, quantum fieri possit, adumbrata proponamus. Et hoc quidem capite de eo genere erit dicendum, quo in rebus animalibus aliud pro alio ponitur: dicendum erit autem, ut diximus, tripartito.

§. 1. Primum considerandum erit, si forte vocabula hominum propria a Curtio de bestiis usurpata sint. In quo genere unum illud exemplum eminet 8, 49,

29, ubi *manus* appellantur proboscides elephantorum. Adde 8, 49, 27 de iisdem: *quum manu arma virosque corriperent.* Sed muniverunt viam inter Romanos quum alii (v. Lucret. 2, 537: *anguimanos elephantos*), tum Cicero de nat. deor. 2, 47, 123: *manus etiam data elephantis,* quem alii sequuti sunt: videlicet non erat certe proprium, quo commodius uterentur, vocabulum, ut vel per catachresin sive illud usurpandum esset sive simile. Vide Plin. N. H. 8, 10, 10: *mandunt ore, spirant et bibunt odoranturque haud improprie appellata manu.* Ceterum idem fere accidit Graecis. Vid. Aristot. An. hist. 1, 11: *τοῖς δὲ ἐλέφασιν ὁ μυκτὴρ γίνεται μακρὸς καὶ ἰσχυρὸς καὶ χρῆται αὐτῷ ὥσπερ χειρί· προσάγεταί τε γὰρ καὶ λαμβάνει τούτῳ καὶ εἰς τὸ στόμα προσφέρεται τὴν τροφὴν καὶ τὴν ὑγρὰν καὶ τὴν ξηρὰν μόνον τῶν ζῴων.* Oppian. Cyneget. 2, 522: *τῶν δ' ἤτοι μεσσηγὺς ὑπεκπροθέει μεγάλη ῥὶς λεπτή τε σκολιή τε, προβοσκίδα τὴν καλέουσι, κείνη θηρὸς ἔφυ παλάμη, κείνῃ τὰ θέλουσι ῥηιδίως ἕλουσι.*

§. 2. Deinde satis rara exempla sunt ea, quibus quae propria sunt in bestiis vocabula, in homines translata reperiuntur. Inter haec apertum illud, quod de pugile nobili dictum est, 9, 39, 16: *invidi malignique increpabant per seria et ludum, saginati corporis sequi inutilem beluam.* Nam beluae, in qua miramur corporis magnitudinem, immanitatem, animae vim non miramur, (v. Doederlein Syn. 4, p. 291), simillimus esse videbatur athleta, qui opimo corporis habitu excellebat, virili animi vi, robore, fortitudine non excellebat. Satis convenit Iustin. 38, 8: *erat enim et vultu deformis et statura brevis et sagina ventris non homini, sed beluae similis.* — Deinde dicendum de vocabulo *grex*; quod licet de quovis animalium genere commode usurpari posset, velut apud C. 10, 4, 24: *equorum domiti greges sequebantur.* 9, 8, 16: *creditisne elephantorum greges maiores esse, quam usquam armentorum sunt?* 9, 16, 18: *repletum immanium beluarum gregibus fretum;* tamen factum est vulgari vitae usu, ut propemodum minutorum pecorum proprium haberetur. V. Laurent. Vall. Eleg. 4, 42, p. 282 sq. ed. Par. 1541. 4. Doederl. Syn. 4, p. 298. 5, p. 362. Ex eo colligere licet translati vocabuli varium usum. Nam quum haud raro eo consilio translatum sit, ut sola hominum multitudo gregis similitudine illustraretur, saepius tamen simul illa aut in contemptionem aut in invidiam aut in misericordiam adducta est. Utriusque usus certa sunt apud Curtium exempla. Prior enim patet ex exemplis his 8, 9, 31: *praemissum Oxarten cum matre liberisque et totius cognationis grege sequebatur* (Sysimithres). 8, 38, 34: (venia) *impetrata regina venit cum magno nobilium feminarum grege aureis pateris vina libantium.* 8, 27, 9: *qui paulo ante nihil praeter arma habebat, nunc argenteis cubat lectis; mensas auro onerant, servorum greges ducunt.* A quibus non multum abhorret illud 10, 10, 20: *ne servi quidem uno grege profugiunt dominos.* Alterum intelligas in his 3, 35, 12. 13: *iamque etiam ad eos, qui primi fugerant, ventum erat: feminae pleraeque parvos trahentes liberos ibant. Inter quas fuere — Ochi — filiae —. In eodem grege uxor quoque eiusdem Ochi fuit.*

Quod hoc exemplo factum est, ut propter insignem fortunae cladem illis imminentem et propter infirmitatem muliebris naturae vocabulo uteretur scriptor ad animos misericordia commovendos accommodatissimo, idem accidit 3, 23, 6: *uxorem matremque regis et aliam feminarum gregem in medium agmen acceperat.* Deinde non sine contemptione et invidia quadam dicta sunt illa 3, 8, 23: *spadonum grex, haud sane illis gentibus vilis,* et 6, 20, 8: *spadonum greges et ipsi muliebria pati assueti,* et 3, 8, 25: *lixarum et calonum greges,* et 6, 4, 2: *greges pellicum.* Nec absonum omnino est 7, 9, 33 et 8, 15, 15: *gregarius miles,* cui quum oppositi sint duces et imperator, adhaerent certe nomini quaedam sordes. Atque utriusque significationis exstant luculentissima apud optimos quosque scriptores exempla. V. Liv. 1, 4, 9: *accrescente in dies grege iuvenum.* 35, 14, 12: *quod e grege se imperatorum velut inaestimabilem secrevisset.* Cic. pro Sull. 28, 77: *in hunc igitur gregem vos nunc P. Sullam, iudices, ex his, qui cum hoc vivunt atque vixerunt, honestissimorum hominum gregibus reiicietis? ex hoc hominum numero, ex hac familiari dignitate in impiorum partem atque in parricidarum coetum ac numerum transferetis?*

Accedamus ad verba, quorum indidem derivata est similitudo; ex quibus satis apertum est *advolare* C. 5, 34, 15: *citatis equis advolant.* 8, 6, 4: *iamque admoverat* (hastam) *pectori, quum advolant vigiles et repugnanti e manibus extorquent.* Exemplo fuit, qui saepe eodem verbo usus est, Iulius Caesar de b. g. 3, 28, 3: *subito ex omnibus partibus silvae evolaverunt.* 5, 17, 2: *repente ex omnibus partibus ad pabulatores advolaverunt.* 5, 39, 1: *de improviso ad Ciceronis hiberna advolant.* 7, 27, 3: *illi subito ex omnibus partibus evolaverunt.* 7, 72, 2: *ne de improviso aut noctu ad munitiones hostium multitudo advolaret.* 8, 36, 3: *equites de improviso advolasse.* Cfr. de bell. civ. 1, 75, 2. 2, 43, 2. 3, 36, 4. 3, 101, 2. Liv. 2, 24, 1. 2, 29, 3. 2, 46, 7. 3, 15, 6. 3, 61, 7. 3, 62, 8. 3, 63, 2. 7, 7, 8. — Praeterea verba *haerere in tergis,* quibus Curtius usus est 3, 20, 16: *superat Pinarum amnem* (rex), *in tergis, ut credebat, fugientium haesurus;* 4, 59, 32: *haerebat in tergis fugientium victor;* 7, 30, 15: *at hercule, si paululum cessaverimus, in tergis nostris Scythae haerebunt;* 7, 37, 14: *fugientium tergis inhaererent;* illa igitur repraesentare videntur animo imaginem lyncis tergo ferae insidentis eamque crudelissime vexantis. V. Aelian. Nat. Anim. 14, 6: *θηρίον τοῦτο ἀλτικὸν δεινῶς καὶ κατασχεῖν βιαιότατά τε καὶ ἐγκρατέστατα καρτερόν.* Oppian. Cyneget. 3, 87. 88 de iisdem: *ἐπιθρώσκουσι δὲ ῥεῖα εὐκεράοις ἐλάφοισι καὶ ὀξυκέροις ὀρύγεσσι.* Vide quae diximus pag. 105 et Drakenb. ad Liv. 1, 14, 11. Comparare licebit ex simillimo genere Liv. 34, 48, 6: (tyrannus) *haerentem visceribus nobilissimae civitatis.* — Aliam eiusdem generis similitudinem habet C. 9, 29, 22: *quem occupatum complexu pedibus repente subductis Dioxippus arietavit in terram;* nam sicut arietes prono

capite inter se concurrunt, ita Dioxippus quum toto corpore tum capite connisus Horratam in terram deiecit.

Et haec quidem verba similitudine quadam actionum nituntur, quae cerni solent in bestiis; in aliis agitur de eo, quod illae patiuntur. Velut in illo saginandi verbo C. 9, 29, 16: *saginati corporis inutilem beluam*, quibus verbis modo utebamur, et 5, 6, 39: *inter haec flagitia exercitus ille domitor Asiae per XXXIV dies saginatus*. Quam metaphoram certis exemplis illustravimus ad h. l. pag. 391. Adde Hirt. de b. afr. 46, 2: *abducite istos nefario scelere contaminatos et caede civium saginatos*. Liv. 36, 17, 8: *novus maritus, velut saginatus nuptialibus coenis*. 38, 17, 17: *duratos eos tot malis exasperatosque accepit terra, quae copia rerum omnium saginaret*. Nec minus aperta sunt, quae hunc maxime in locum licet referre, *iugum imponere, pati*, alia, quae insertum boum cervicibus aut cornibus iugum ob oculos ponunt. V. C. 3, 25, 5: *non Persis modo, sed etiam omnibus gentibus imposituros iugum*. 3, 32, 25: *praesentis* (fortunae) *iugum pati possum*. 3, 23, 13: *urbes adhuc iugum imperii recusantes*. 6, 7, 6: *adhuc iugum* (imperii) *rigida cervice subeuntibus barbaris*. Vid. Cic. Philipp. 1, 2, 6: *patriae liberatores urbe carebant ea, cuius a cervicibus iugum servile deiecerant*. Liv. 3, 15, 9: *ut servitiis grave iugum demeret*. Cic. Philipp. 11, 2, 6: *quasi vero non unum idemque bellum sit contra hoc iugum impiorum nefarium!* — Ad eandem similitudinem referendum esse illum Curtii locum, qui est de urbe ab Alexandro ad Tanaim condita, 7, 29, 1: *ratus eam urbem, quam in ripa amnis Macedones condiderant, suis impositam esse cervicibus*, collatis aliis iisque bonorum scriptorum exemplis demonstrasse videor ib. p. 685. *a. b.* Adde Liv. 42, 50, 6: *cervicibus eorum* (Karthaginiensium) *praepotentem finitimum regem imposuisse*. Nisi forte quis potius victoris pugilis imaginem expressam esse putaverit, qui pedem super cervicem iacenti adversario solebat imponere; qua ex re illustrandum certe est illud C. 7, 30, 11: *defecere Bactriani, in quorum cervicibus stamus*. Vid. pag. 685. *a.* — Agmen cogat, quod ipsum minime alienum est ab hoc loco, C. 7, 40, 16: *haec* (oppida) *omnia sita sunt in editis collibus, tum velut freni domitarum gentium*. Quae translatio in singulis hominibus frequens est nec obscura; v. Cic. de orat. 3, 9, 36: *dicebat Isocrates —, se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti solere*. Philipp. 13, 9, 20: *eique in Galliam penetranti D. se Brutus obiecit, qui se totius belli fluctibus circumiri, quam illum aut regredi aut progredi maluit, Mutinamque illi exsultanti tamquam frenos furoris iniecit*. Liv. 34, 2, 13: *date frenos impotenti naturae et indomito animali*. 45, 19, 7: *ni unius amici prudens admonitio velut frenos animo eius imposuisset*. Curtius profecto liberius vocabulo usus iustae tamen translationis fines excessisse non est putandus.

§. 3. Tertio loco videndum erit de iis vocabulis, quae quum proprie de certis quibusdam bestiarum generibus usurpari soleant, ad alia translata reperiuntur. Totum hoc genus praeter cetera lubricum est et impeditum, nec ad certum quendam finem plerumque perduci potest disputatio. Uno igitur defungar exemplo. Currendi verbum licet multo varioque usu celebratum, ubi de animalibus ponitur, illud tamen habere solet proprium, ut de iis ponatur, quae celeri pedum motu ferantur. Hoc igitur pulcherrima translatione de avibus volantibus utitur Curtius 3, 8, 18: *accipitres, velut rostris inter se concurrerent*. Vide quae ibidem notavimus pag. 47. 48. Scilicet nobis quidem in hoc vocabulo currendi notio propemodum interisse videri solet. — Sed relinquamus hunc locum, ne spinosioribus quam quas haec fert commentatio, implicemur quaestionibus.

CAPUT IV.

VOCABULA RERUM ANIMALIUM PROPRIA IN RES INANIMAS A *CURTIO* TRANSLATA.

Alterum translationum genus posuimus illud, quo quae propria sunt in rebus animalibus vocabula, transferuntur in inanimas: cuius generis tres partes esse vidimus.

§. 1. Itaque primo loco dicendum erit de vocabulis iis, quae, propria illa quidem animalium, transferuntur tamen in res inanimas, quas procreavit natura. Sed hae res tot ac tam variis indutae sunt formis, ut in suas species describendae esse videantur. Ex quibus quae saepissime usurpantur, eas et enumerabimus hoc loco et mox illustrabimus exemplis. Primo igitur disputandum erit de partibus ac formis solidae terrae; deinde de rebus, quae natura fluunt et manant in orbe terrarum, earumque variis partibus et formis; mox de his, quae iis locis oriuntur, ubi solidae fluidaeque terrae partes inter se committuntur; insuper de rebus iis, quas aer gignere videtur; praeterea de igne atque quae cum eo coniuncta sunt; tum vero de iis rebus, quae terrarum motu efficiuntur; denique de frugibus et reliquis, quae terra parit. Has iam huius disputationis partes singillatim persequamur.

§. 2. Inter ea primum vocabula, quae ab hominibus bestiisque translata sunt in partes quasdam ac formas terrae solidae, haud pauca recensenda sunt nomina substantiva, non solum ornatae illa orationis, verum ipsius consuetudinis vulgaris propria. Ex quo genere illa sunt *dorsum, dorsum montis, dorsum montium*, quibus saepe usus est Curtius v. c. 3, 10, 7. 3, 11, 12. 7, 12, 8. 7, 14, 19. 7, 14, 21. 5, 12, 16., sed ita tamen, ut non solum summam iugi partem eamque directam dorsum vocaret (v. Doederl. Syn. 5, p. 15), verum etiam ad totum quendam montem sive complurium quasi continuationem montium sive directam sive flexam deflecteret nomen. Cuius rei ex probatissimis scriptoribus praesto sunt exempla. V. Caes. bell. gall. 7, 44, 3: *dorsum eius iugi*. Liv. 1, 3, 3: *ab situ porrectae in dorso urbis*. 36, 15, 6:

sicut Apennini ***dorso*** *Italia dividitur.* 44, 4, 3: *iugum montis, in angustum* ***dorsum*** *cuneatum.* — Deinde ***vertex***, velut C. 5, 16, 27: *evadunt ergo in editum verticem;* 7, 42, 17: *per has difficultates enituntur in* ***verticem*** *montis;* 6, 22, 24: *in* ***vertice*** (rupis) *herbidus campus.* Quod quam probum sit, ex sola constat Quinctiliani disputatione 8, 2, 7. — Tum deinde ***cornu*** C. 3, 10, 6: *quod* (iugum) *quum a mari assurgat, velut sinu quodam flexuque curvatum, rursus altero* ***cornu*** *in diversum litus excurrit.* Cum quo committenda sunt C. 6, 12, 16: ***lunae*** *maxime similem* (sinum), *quum eminent* ***cornua***, et 8, 33, 36: *quum se curvare coepit* (luna) *in* ***cornua***. Est ergo cornu alterum quasi inflexi iugi brachium procurrens in planitiem aut mare, neque vero ex nostratium, Helvetiorum maxime, usu in denotandis abruptis montium verticibus solemni illustrandum illo quidem loco. Ita Caesar apud Cic. ad Att. 9, 14, 1: *ab utroque portus* ***cornu*** *moles iacimus.* Lucan. 2, 706: *praecipiti cursu flexi per* ***cornua*** *portus ora petunt.* Liv. 37, 11, 8: *promontoria, quae* ***cornibus*** *obiectis ab alto portum faciunt.* — Insuper ***sinus*** praeter C. 3, 10, 6, quo modo utebamur, 6, 12, 16: *duo terrae eius velut brachia excurrunt: media flexu modico* ***sinum*** *faciunt,* et 3, 24, 12: *paulatim deinde laxare se* ***sinus montium*** *et maius spatium aperire coeperant;* quae verba non uti par erat exposita sunt ab Guil. Boettichero Lex. Tac. p. 432. Qui si illud voluit, ut regionem, quae alteri quasi se insinuaverit, iccirco sinum existimemus appellari, quod sinus maritimi speciem praebeat, nihil est, quod eum sequamur, rem simplicem per ambages expedientem. Nam sive riparum brachia sinum faciunt sive montium sive terrarum, omnium una eademque sinus humani togaeque est similitudo. Quod igitur Curtius paulatim se laxare dicit sinus montium, quid hoc rei est, nisi quod montium flexus paulatim latiores, spatiosiores facti sunt, itaque magis magisque a mari recesserunt. — Accedat ***latus*** C. 5, 13, 5: *Persis ab altero* ***latere*** *perpetuis montium iugis clauditur.* 6, 6, 13: *a laevo Thraciae latere ad Borysthenem.* V. Liv. 43, 18, 3: *solum infestum esse Macedoniae* ***latus***, *quod ab Illyrico pateret.* — Praeterea ***brachia*** ap. C. 6, 12, 16, quae verba modo ascripta sunt; qua translatione etiamsi nemo unquam esset usus, tam manifesto tamen humani brachii et montis ex serie quadam atque complexu montium in planitiem procurrentis similitudo deprehenditur, ut qui primus eam usurpaverit, insignem sollertiae laudem merito tulisse videatur. Ad eandem similitudinem revocandum est Plinii exemplum Nat. hist. 5, 27, 27 de monte Tauro: *ubi* ***brachia*** *emittit, subinde tentanti maria similis, Sarpedon, Coracesius, Cragus iterumque Taurus* (appellatur). — Postremo in hoc genere commemoranda sunt ***os*** et ***fauces***; hoc saepissime reperitur quum apud alios tum apud C., velut 3, 9, 2: *pylas incolae dicunt artissimas* ***fauces***; 5, 12, 17: *impune Ciliciae* ***fauces*** *intraverat;* 3, 20, 13: ***fauces***, *quibus Syria aditur;* 8, 8, 20: ***fauces*** *regionis, qua in artissimum cogitur, valido munimento sepserat;* 3, 2, 13: *utroque* (mari) *in artas* ***fauces*** *compellente terram.* Res satis aperta. V. Liv. 21, 23, 2:

fauces, quae Hispanias Galliis iungunt. 22, 4, 3: *ad ipsas fauces saltus.* 22, 15, 11: *saltus in artas coactus fauces.* 45, 28, 3: *Isthmus duo maria — artis faucibus dirimens.* *Os* hac significatione est C. 7, 41, 3: *in medio altitudinis spatio* (petra) *habet specum, cuius os artum et obscurum est.* Vid. Liv. 45, 27, 8: *Lebadiae — quum vidisset os specus, per quod — descendunt —.*

Quod si hae nominum metaphorae satis demonstrant, omnes huius generis res, quae sunt in rerum natura, viventium instar et anima fruentium esse habitas, idem ex verborum translatione illustrare licet luculentissime. Huc primum referri tuto posse videntur verba motum significantia hominum maxime bestiarumque proprium. Ita *excurrere* usurpatur de montium iugis, quae ex universo montium corpore prominent, quaeque ad mare sive in planitiem sive in alienam terram evehuntur, quid? quod idem transfertur in quoslibet terrae tractus, qui ex ampliore quadam regione in aliam quamlibet excurrere videantur. V. C. 3, 10, 6: (iugum) *rursus altero cornu in diversum litus excurrit.* 5, 12, 16: *quorum* (montium) *perpetuum dorsum in Persidem excurrit.* 5, 10, 3: (regio Uxiorum) *finitima Susis est et in primam Persidem excurrit.* 4, 31, 18: (Arabum) *regio usque ad rubrum mare excurrit.* 6, 12, 16: *duo eius terrae velut brachia excurrunt.* V. Liv. 26, 42, 8: *ab intimo sinu peninsula excurrit.* 36, 15, 8: *excurrente in altum, velut promontorio, Attica terra.* 37, 31, 9: *lingua mille passuum excurrens.* Cui consimile *procurrere* C. 5, 13, 5: (latus) *in longitudinem MDC, in latitudinem CLXX stadia procurrit.* — His accedat *excedere* C. 7, 14, 22: *rupes in eo X in circuitu stadia complectitur, quattuor in altitudinem excedit.* 8, 30, 3: *quae austrum accipiunt, in altius terrae fastigium excedunt.* Vid. Plin. N. H. 27, 1: *montes et excedentia in nubes iuga.* 3, 5, 6: *haud ullo inde loco CCC in latitudinem excedens.* Et *recedere* C. 4, 1, 6: *pleraque longius etiam a mari recedentia.* 4, 36, 10: *liber prospectus oculorum etiam ad ea, quae procul recessere, permittitur.* V. Plin. N. H. 4, 10, 17: *regio Mygdoniae subiacens, in qua recedentes a mari Apollonia, Arethusa.* 5, 12, 13: *qua recedit intus* (Syria, vocabatur) *Damascena.* — Deinde *assurgere* sive *surgere* C. 3, 10, 6: *quod* (iugum) *quum a mari assurgat* (alii *surgat*), quod satis videmur illustrasse p. 57. *b.* Adde C. 8, 39, 6: (petra) *cuius ima spatiosiora sunt, altiora in artius coeunt, summa in acutum cacumen exsurgunt.* Vid. pag. 57. *b.* — Congruit *se attollere* C. 7, 14, 20: *Taurus — a Cappadocia se attollens Ciliciam praeterit.* Plin. N. H. 4, 8, 15: *ultra visum hominis attollentibus se dextera laevaque leniter convexis iugis.* — Contra *se demittere* C. 5, 15, 23: *qua se montium iugum paulatim ad planiora demittit,* quod quamvis audacius dictum esse videatur, similibus tamen exemplis defenditur. V. Caes. b. g. 7, 72: *campestribus ac demissis locis,* ubi v. Herzogium p. 559. Et Plinium Nat. Hist. 6, 20, 23: *iam in plana demisso tractu.* — Deinde *procumbere* C. 5, 13, 6: *planities sub radicibus montium spatiosa procumbit,*

quod pag. 432 illustravimus simillimo exemplo ex Plinii naturali historia deprompto. — Geminum est, quod poetarum usu firmavimus pag. 868, *subsidere* apud C. 9, 36, 19: *dispersa classis partim in praealta aqua stabat, qua subsederant valles.* Sed idem quum reliquorum id genus verborum similitudine ab omni audaciae crimine vindicatur, tum satis idoneo Plinii exemplo defenditur l. c. 5, 29, 31: *mons Mimas CCL mil. passuum excurrens atque in continentibus campis residens.*

Sed praeter haec verba motum significantia sunt quaedam alia, quae eadem ratione a Curtio usurpantur, quae quidem alia aliam actionem denotant. Ex insigni verborum copia pauca hoc loco enumerasse satis erit haec. *Imitari* ap. C. 3, 9, 2: *munimenta, quae manu ponimus, naturali situ imitante,* quod propter sententiae rationem potius vituperandum est, quam propter usum verbi; nam idem certe saepe ad res refertur aliarum similitudinem habentes; velut Cic. de divin. 2, 21, 49: *potest igitur, quod modo negabas, veritatem casus imitari.* Ib. 2, 27, 58: *humor allapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus austro, sudorem videtur imitari.* Plin. N. H. 12, 12, 26: *radice obliqua villosaque et imitante avium pedes.* Ib. 37, 5, 17: *dos* (smaragdorum) *est nec in colore liquido nec diluto, verum ex humido pingui, quaque perspiciatur, imitante translucidum mare.* — Deinde verba videndi, ut *spectare* C. 7, 40, 15: *duo* (oppida) *ad meridiem versa, quattuor spectantia orientem.* 4, 21, 1: *inde orientem spectantibus terris contentum se fore.* 8, 30, 2: *India tota ferme spectat orientem.* 7, 29, 4: *rursus quae et Tanaim et Bactra spectant, humano cultu haud disparia sunt,* ubi *disparia* in *digniora* mutandum esse coniecimus. Vid. Liv. 21, 37, 5. Et *prospectare* C. 6, 12, 17: *et illos, qua vergit ad septentrionem, hos ad occasum conversa prospectat.* Quorum illud quum apud optimos scriptores saepe legatur, nulla defensione eget; hoc Plinii, Taciti, aliorum illius aetatis est proprium (v. Boetticher Lex. Tac. p. 391.), sed apertissimam potestatis compositionisque rationem habet. Sub idem iudicium cadit *accipere* C. 8, 30, 3: *quae austrum accipiunt, in altius terrae fastigium excedunt,* quod C. Plinii Caecilii Secundi usu illustravit iam Acidalius. Vid. eius Epist. 2, 17: (cryptoporticus) *patentibus fenestris favonios accipit transmittitque.* Ibid. 5, 6: *accipit* (villa) *ab hoc* (Apennino) *auras quamlibet sereno et placido die.* — Ultimum commemorabimus *resudare* C. 5, 2, 12: *toto fere solo propter venas aquarum resudante.* 7, 39, 3: *quum ipsum solum, sub quo tantus amnis fluit, ne modico quidem resudet humore.* Comparare licet Lucret. 6, 942 sq.: *principio fit, ut in speluncis saxa superna sudent humore et guttis manantibu' stillent.* Virgil. Georg. 1, 117: *unde cavae tepido sudant humore lacunae.* Plin. Nat. H. 35, 15, 52: *fit autem omne* (alumen) *ex aqua limoque, hoc est, terrae exsudantis natura.*

§. 3. Accedamus iam ad vocabula ea, quae ab hominibus bestiisque translata sunt in res eas, quae natura fluunt, earumque in orbe terrarum formas ac partes,

velut mare, flumina, rivos. In hoc quoque genere nonnunquam metaphorae ex corporis humani partibus ductae sunt; velut *os* apud C. 9, 37, 23: *equites praemitteret ad os amnis.* 9, 34, 2: *quam placidum amnis os — esset;* a quibus aliquantum discedit 8, 30, 8: *quippe asperum os influenti obiicit, nec repercussae aquae cedunt.* Vid. Liv. 1, 33, 9, aliosque.

Frequentiora sunt verborum exempla. Primum commemoro verba currendi similiaque, quae maxime animalium propria habenda sunt. Velut *excurrere* C. 3, 1, 3: *fons eius ex summo montis cacumine excurrens;* quod non est certe audacius dictum, quam illud apud Plin. N. H. 2, 103, 106: *quum omnis aqua deorsum feratur, exsilire fontes.* — *Decurrere* C. 8, 30, 8: *decursurum in mare intercipit,* et saepius: est enim vulgatissimum illud. — Hac similitudine defendi posse videtur, quod satis rarum est hac potestate, *incurrere* C. 6, 10, 5: *inde torrens et saxorum, per quae incurrit, asperitate violentior, terram praeceps subit.* Et C. 3, 10, 8: *Cydnus — puro solo excipitur, nec torrentes incurrunt.* — *Recurrere* C. 9, 36, 20: *magno tractu aquis in suum fretum recurrentibus.* Ovid. Heroid. 5, 30: *ad fontem Xanthi versa recurret aqua.* — *Ambire* C. 4, 8, 9: *muros turresque urbis praealtum mare ambiebat.* Virgil. Aen. 6, 550: *quae* (moenia) *rapidus flammis ambit torrentibus amnis.* Plin. N. H. 4, 11, 18: *Nestum amnem Pangaei montis ima ambientem.* — *Coire* C. 8, 8, 23: *coeuntibus aquis ex superiore fastigio in vallem.* 5, 2, 14: *iidem* (Tigris et Euphrates) — *paulatim in artius coeunt.* 9, 15, 9: *amnium coitus* sive *coetus.* Vide p. 838 et Ovid. Met. 5, 409 sq.: *est medium Cyanes et pisaeae Arethusae quod coit angustis inclusum cornibus aequor.* Plin. N. H. 31, 2, 18: *in unum alveum coeunt vasto singuli amne.* Ib. 4, 12, 24: *inde exspatiatur aequor rursusque in artum coit.* — *Praeterire* C. 5, 10, 2: *campi, quos clementiore alveo praeterit* (fluvius). 7, 18, 31: *Bactrus amnis praeterit moenia.* V. Horat. Carm. 4, 7, 3: *et decrescentia ripas flumina praetereunt.* 2, 11, 18: *quis puer ocius restinguet ardentis Falerni pocula praetereunte lympha.* — *Redire* C. 9, 37, 26: *unde tantum redisset subito mare.* Ovid. Met. 7, 200: *amnes in fontes rediere suos.* Ex Pont. 4, 5, 43: *fluminaque in fontes cursu reditura supino.* Plin. N. H. 31, 4, 28: *vere primum aquis redeuntibus.* — *Subire* C. 6, 10, 7: *qua subeunt aquae terram.* Deinde C. 8, 39, 7: *radices eius* (petrae) *Indus amnis subit.* 5, 13, 8: *radices* (collium) *humore subeunte.* Denique C. 7, 14, 19: *mare, quod Ciliciam subit.* Horat. Carm. 3, 4, 7: *lucos, amoenae quos et aquae subeunt et aurae.* Ovid. Art. am. 1, 620: *ut pendens liquida ripa subitur aqua.* Vide pag. 632. *b.* 852. *b.* Ab his separandum C. 9, 34, 7: *tertio iam die mixtum flumini subibat mare,* quippe adverso flumine. — *Evadere* C. 3, 10, 9: *ubique fontibus suis similis in mare evadit* (Cydnus). Plin. N. H. 5, 26, 21: *parte laeva in Mesopotamiam vadit per ipsam Seleuciam* (Euphrates). — *Retrocedere* C. 9, 15,

14: *findi crederes undas et retro gurgites cedere.* — *Descendere* C. 9, 35, 10: *identidem intumescens mare et in campos paulo ante siccos descendere superfusum.* Vid. Valer. Flacc. 8, 219: *in freta per saevos Ister descendit Alanos.* Lucan. 6, 76: *Romae praelapsus moenia Tibris in mare descendit.* Ovid. Met. 11, 531: *nec prius* (unda) *absistit fessam oppugnare carinam, quam velut in captae descendat moenia navis.* — *Oberrare* C. 3, 11, 12: *crebris oberrantibus rivis*, ubi v. p. 63. *a.* — Proximum ab his *incumbere* C. 6, 12, 19: *a septentrione ingens in litus mare incumbit*, de quibus verbis videnda, quae disputavimus pag. 534. *b.* Adde Plin. N. H. 5, 32, 40: *impetum deinde sumit Hellespontus et mare incumbit, vorticibus limitem fodiens, donec Asiam abrumpat Europae.* Idem vocabulum saepissime a poetis translatum est in ventum. V. Virg. Aen. 1, 84: *incubuere mari.* — Nec desunt alia verba, varias actiones denotantia, quae simillimo consilio posita sunt. Velut *concipere* C. 6, 10, 5: (fluvius) *terram praeceps subit: per CCC stadia conditus labitur: rursusque velut ex alio fonte conceptus editur.* Vulgatior in aliis rebus metaphora. Vid. Virg. Georg. 1, 86: *sive inde occultas vires et pabula terrae pinguia concipiunt.* Plin. N. H. 16, 25, 42: (vites) *concipiunt vergiliarum exortu.* — *Exedere* C. 4, 8, 8: *nec ulla tam firma moles est, quam non exedant undae.* Vid. p. 60 *a. b.* p. 195. *b.* et Liv. 37, 27, 7: *exesae fluctibus rupes.* — *Absorbere* C. 4, 10, 19: *quicquid ingerebatur, praealtum absorbebat mare*, quod Ciceronis exemplo firmavimus p. 202. *b.* Adde Virgil. Aen. 3, 421: *imo barathri ter gurgite vastos sorbet in abruptum fluctus.* — *Exsorbere* C. 8, 30, 6: (Indus) *multas arbores cum magna soli parte exsorbet.* Magis placet Horat. Carm. 1, 31, 7: *non rura, quae Liris quieta mordet aqua taciturnus amnis.* — Contra *evomere* C. 4, 26, 8: *multam arenam vicinum mare evomit*, quam quidem similitudinem antiquitati non displicuisse demonstravimus p. 249. *b.* — Praeterea *intendere* C. 6, 10, 5: (fluvius) *novum alveum intendit*, quod satis audacter dictum est. — *Retinere* C. 3, 1, 5: (flumen) *nomen suum retinet*, quo saepe usus est Plinius N. H., velut 5, 32, 43: *Nicopolis, a qua nomen etiamnum sinus retinet.* — *Abhorrere* C. 8, 30, 14: *mare, quo alluitur, ne colore quidem abhorret a ceteris*, paulo audacius dictum. Nec praetermittendum esse videtur *inhorrescere* apud C. 4, 14, 17: *tum inhorrescens mare paulatim levari*, quod quam sollerter fuerit inventum, patet ex annot. p. 216. *b* — Novum genus, et ipsum cum hac re coniunctissimum, illustratur translato vocabuli *furere* usu apud C. 4, 10, 16: (fretum) *quo artius volutetur inter insulam et continentem, hoc acrius furere.* V. Horat. Ep. 1, 11, 10: (vellem) *Neptunum procul e terra spectare furentem.* Virg. Aen. 1, 107: *furit aestus arenis.* Ib. 7, 464: *furit intus aquai tumidus atque alte spumis exuberat amnis.* Propert. 4, 22, 28: *Itala portentis nec furit unda novis.* Lucan. 5, 599: *iam te* (Core)

tollente furebat pontus. Senec. Agam. 64: *non sic libycis syrtibus aequor furit alternos volvere fluctus.*

§. 4. Tertius locus capit ea vocabula, quae ab hominibus bestiisque translata sunt in eas terrae partes, in quibus solida et fluida inter se committuntur, velut in ripas. Huius generis perpauca existunt exempla. In eorum numerum retulerim hunc usum vocabuli *os*, qui reperitur apud Curtium 6, 10, 7 de fluvio quodam, qui per CCC stadia conditus labitur ac mox velut ex alio fonte conceptus editur: *ubi aliud os amnis aperitur.* — Magis expeditum est in hac causa *coire* ap. C. 8, 45, 9: (fluvius) *quasi in artum coeuntibus ripis, torrens et elisus ferebatur.* — Ab hoc non multum differunt C. 3, 10, 7: *dorsum, qua maxime introrsus mari cedit,* et 4, 1, 6: *maritimam tum oram et pleraque longius etiam a mari recedentia rex eius insulae Strato possidebat,* et 3, 2, 13: *utroque* (mari) *in artas fauces compellente terram.* Quamquam non deerunt, qui haec potius cum §. 2. coniungenda fuisse censeant.

§. 5. Quartum genus non est frequentius exemplis, quo vocabula ab hominibus bestiisque translata sunt in res eas, quas aer gignere videtur, velut ventum, nubes, imbrem. Ex hoc genere est *converrere* C. 7, 18, 27: *quum venti a pontico mari spirant, quicquid sabuli in campis iacet, converrunt,* sollerter illud, non audacter inventum. Vid. Ovid. Met. 6, 705: (Boreas) *pulvereamque trahens per summa cacumina pallam verrit humum.* Virg. Aen. 1, 58: *ni faciat, maria ac terras coelumque profundum quippe ferant rapidi secum* (venti) *verrantque per auras.* — Nec aliena omnino sunt *illidere* C. 4, 12, 6: *forte eodem die vehementior ventus totum ex profundo mare illisit in molem,* de quo v. p. 195. *b.* Adde Virg. Aen. 1, 112: (Eurus) *illiditque vadis.* — *Obstare* C. 4, 5, 8: *nec accipiendo operi — quicquam magis, quam ille ventus obstabat.* — *Morari* C. 8, 46, 22: *huius consilii effectum morata tempestas est.* Cic. Epp. ad Fam. 2, 15: *nisi quid me Etesiae morabuntur.* — *Se intendere* C. 8, 46, 24: *adeo spissae intendere se nubes, ut conderent lucem.* Vid. pag. 216. *a.*

§. 6. Paucioribus etiam licet absolvere quintum genus, quo comprehenduntur vocabula ab hominibus bestiisque translata in ignem quaeque cum igne coniuncta sunt. Praeclarum eius generis exemplum est *intermori* C. 6, 23, 31: *barbari suppliciorum ultimum, si qua intermoreretur ignis, effugere tentabant.* Cum quo componi possunt Plinii illa N. H. 16, 6, 8: *carbo in aerariorum tantum officinis compendio, quoniam desinente flatu protinus emoriens saepius recoquitur.* Ibid. 37, 7, 27: *est et anthracitis appellata in Thesprotia fossilis, carbonibus similis. — Esse in iis et praecinctae candida vena traduntur: harum igneus color, ut superiorum est; peculiare quidem, quod iactatae in ignem velut intermortuae exstinguuntur, contra aquis perfusae exardescunt.* Dein Ovid. Am. 1, 2, 11: *vidi ego iactatas mota face crescere flammas, et vidi nullo concutiente mori.*

§. 7. Nec genus sextum saepe locum habet, ex quo vocabula ab hominibus bestiisque translata sunt in res eas sive terrestres sive coelestes, quae terrae motu efficiuntur. Sed exstant tamen apud Curtium insignia aliquot eius exempla, velut *appetere* C. 7, 33, 3 et saepius: *lux appetebat.* Ibidem 3, 30, 1 et saepius: *nox appetebat,* quod illustravimus pag. 140. *b.* 141. *a.* Adde Caes. b. g. 7, 82, 2: *quum lux appeteret.* — *Decedere* C. 8, 23, 23: *in eam ipsam noctem, quae decederet, insidias comparatas fuisse,* quod poetarum consuetudinem referre videtur. V. pag. 760. *a. b.* et Horat. Epp. 1, 6, 3: *hunc solem et stellas et decedentia certis tempora momentis sunt qui formidine nulla imbuti spectent.* — *Inclinare* C. 4, 31, 22: (die) *inclinato in vesperam,* et 6, 42, 9: *in vesperam inclinabat dies;* utrumque ab aliis quoque scriptoribus usurpatum esse vidimus pag. 587. *a. b.* — *Incubare* C. 9, 16, 18: *perpetuam noctem profundo incubantem mari,* ut Virgil. Aen. 1, 89: *ponto nox incubat atra.* Senec. Oedip. 46. 47: *nullum serenis noctibus sidus micat, sed gravis et ater incubat terris vapor.*

§. 8. Septimum genus est eorum, quae ab hominibus bestiisque translata sunt in ea, quae terra parit et alit, velut herbas, flores, arbores, fruges. Hoc loco sine dubio commemorandum illud est, quod est apud Curt. 4, 30, 10: *nondum tam vastis nudisque solitudinibus aditis, iam tamen sterili et emoriente terra,* quod lectissimis Senecae, Plinii, Quinctiliani locis defendimus pag. 264. *a.* Exemplo fuerunt poetae, velut Virg. Bucol. 7, 57: *aret ager, vitio moriens sitit aeris herba.* Aen. 9, 436: *purpureus veluti quum flos succisus aratro languescit moriens.* Ovid. Metam. 5, 482: *primis segetes moriuntur in herbis.* Senec. Oedip. 50: *et altis flava quum spicis tremat, arente culmo sterilis emoritur seges.* Ceterum idem vocabulum alia eaque audaciore etiam ratione translatum ne Cicero quidem sprevit. — Deinde *concurrere* C. 5, 15, 25: *concurrentibus ramis,* ubi alii legebant: *concutientibus.* — *Ambire* C. 4, 31, 16: (sedes consecrata) *undique ambientibus ramis, vix in densam umbram cadente sole, contecta est.* Vid. Plin. N. H. 14, 1, 3: *villas et domos ambiri singularum* (vitium) *palmitibus ac sequacibus loris memoria dignum inter prima Valerianus quoque Cornelius existimavit.* — *Percurrere* C. 8, 32, 26: *totas* (columnas) *vitis auro caelata percurrit,* qui locus, quamquam caelatae, non verae vitis habet mentionem, ab hac tamen similitudine non videbatur esse seiungendus. Eadem fere metaphora usus est Senec. Hippol. 644: *ut agilis altas flamma percurrit trabes.* Ceterum v. Plin. N. H. 17, 23, 35, 27: *recisis quia lateribus excurrant pampinis.* — *Vestire* C. 6, 16, 15: *trunci ubi multa fronde vestiti sunt, operiunt terram.* 8, 39, 8: *rami fronde vestiti impedissent ferentes.* Vide pag. 433. *a.*, ubi Plinii utriusque exemplis usi sumus. Poteramus antiquioribus uti Ciceronis de nat. deor. 2, 39, 98: *terra — vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus.* Ib. 2, 53, 132: *montes vestiti atque silvestres.* Et Liv. 21, 54, 1: *quibus inculta ferme vestiuntur virgultis vepribus-*

que. 22, 28, 5: *ager — non modo silvestre quidquam, sed ne vepribus quidem vestitum habebat.* — *Expectare* C. 6, 7, 7: *fruges quoque maturitatem statuto tempore expectant.* V. Virgil. Georg. 2, 420: *neque illae* (oleae) *procurvam expectant falcem rastrosque tenaces.*

§. 9. Ceterum priusquam ab hoc loco discedamus, verbo saltem dicendum erit de iis verbis, quae quum propria sint actionum in homines directarum, transferuntur interdum in res a natura procreatas. Velut *dimicare* C. 5, 10, 8: *ut quibus non cum hoste solum, sed etiam cum loco dimicandum esset.* Et *luctari* C. 4, 29, 7: *luctandum est — cum tenacissimo sabulo.* 4, 38, 19: *maior inter ipsos quam cum amne luctatio est.* 4, 34, 8: *flumini obluctatus.* Adde C. 3, 2, 18. Cfr. Virg. Aen. 3, 38: *genibus adversae obluctor arenae.* Plin. N. H. 18, 5, 6: *malus est ager, cum quo dominus luctatur.* Adde Liv. 43, 22, 9.

§. 10. Sed haec hactenus; iam veniamus ad eam partem alterius translationum generis, qua quae propria sunt hominum bestiarumque vocabula, ea transferri diximus in res inanimas, quae hominum manu, opera, consilio factae sunt, quae quidem oculis, auribus, aliove sensu percipi possunt. Et hoc quoque loco primum erit videndum de nominibus. Familiam ducat *caput* C. 4, 11, 23: *duas turres ex capite molis erexit, e quibus in subeuntes scaphas tela ingeri possent.* 4, 12, 3: (incendium) *priusquam posset occurri, turres et cetera opera in capite molis posita comprehendit.* Cfr. 4, 17, 4. Videlicet dicit summam molis partem, quae aquam superabat. Vide pag. 206. *b.* p. 205. *a.* p. 225. *a.* In quo nemo erit, qui haereat. Ceterum paulo liberius etiam facta translatio est in eodem vocabulo C. 4, 21, 8: *Persepolin, caput regni.* 5, 24, 1: *ille iam Ecbatana pervenerat, caput Mediae urbs haec.* 5, 16, 33: *Persepolim urbem, caput regionis.* 7, 18, 31: *Bactra, regionis eius caput.* 9, 14, 40: *oppidum, caput eius* (regionis). 6, 6, 12: *Parthienen, tunc ignobilem gentem, nunc caput omnium, qui post Euphraten et Tigrin amnes siti rubro mari terminantur.* Vide A. de b. hispan. 3, 1: *Corduba, quod eius provinciae caput esse existimabatur.* Aem. Prob. Epam. 10, 4: (Thebas) *caput fuisse totius Graeciae.* Liv. 21, 30, 10: *Romam, orbis terrarum caput.* 9, 31, 4: *caput hoc* (Bovianum) *erat Pentrorum Samnitium.* 21, 5, 4: *Carteiam — caput gentis eius.* 21, 33, 11: *castellum, quod caput eius regionis erat.* 23, 10, 2: *brevi caput Italiae omni Capuam fore.* 27, 7, 2: *Karthaginem, caput Hispaniae.* 33, 17, 1: *id* (Leucas) *caput Acarnaniae erat.* Accedat C. 6, 37, 6: *atqui coniurationis caput me fuisse credit rex?* Vide A. de b. hisp. 33, 4: *Scapula, totius seditionis familiae et libertinorum caput.* Liv. 8, 19, 13: *prius animadversum in eos, qui capita coniurationis fuerant.* 9, 26, 7: *ea capita coniurationis fuerant.* 10, 1, 3: *capita coniurationis eius — securi percussi.* — *Frons* C. 4, 13, 8: *rex novi operis molem orsus, in adversum ventum non latere, sed recta fronte direxit*; ex quo genere multa eaque simillima exstant. —

Latus praeter locum modo allatum C. 9, 15, 10: *quum crebri fluctus se inveherent et navium hinc proras, hinc latera pulsarent.* Cfr. 9, 36, 20. Et C. 3, 7, 16: *utrumque currus latus.* Vid., ut hoc utar, Caes. b. civ. 1, 42, 1: *latera castrorum.* — *Manus* C. 4, 9, 12 et 4, 16, 24. 26: *ferreae manus,* de quibus diximus p. 197. *a. b.* — Quid? quod ipsa animalium nomina rebus hominum manu factis imponuntur; velut *aries* ap. C. 4, 14, 13: *undique tormentis et maxime arietum pulsu muros quatit.* 8, 8, 22: *arietibus admotis munimenta — concussit.* Et *corvus* ap. C. 4, 9, 12. 4, 16, 24. 26, de quo vid. p. 198. *a.*

Sed transeamus ad ea, quae consilio hominum instituta sunt. In hoc genere translatum reperimus ap. Curtium *corpus* 10, 12, 10: *vos meorum militum corpori immiscui,* quod nemo vituperabit. Vid. Liv. 34, 9, 3: *nunc in corpus unum confusi omnes.* — *Manus* saepissime apud Curtium reperitur addito genitivo nominis aut adiectivo et singulari numero, quod saepius factum, et plurali; ita *manus militum, equitum, funditorum, sagittariorum, agrestium; manus invicta, delecta, valida, expedita* (vid. pag. 540. *b.*); *manus tumultuariae.* Separatim commemorandum videtur C. 8, 1, 1: *quum propter vagum hostem spargendae manus essent, in tres partes divisit exercitum.* — Nec minus vulgata in re militari sunt *cornu, ala, frons, tergum, latus,* quibus si non usus esset Curtius et non saepe esset usus, maximopere profecto mirandum erat.

Deinde commemorabimus verba, quae eadem ratione a Curtio translata reperiuntur: in quibus enumerandis si parcior videatur esse commentatio nostra, iccirco multa vocabula patebit omissa esse, quod in consuetudinem communem adeo abierunt, ut omnes illis non ut translatis, sed ut propriis usi sint. Sed de his rebus vix unquam idem omnium erit iudicium. Primum igitur *adire* C. 4, 20, 19: *quodcunque* (mare) *classes eius adierunt.* — *Circumire* C. 3, 8, 19: *hoc* (capitis insigne) *caerulea fascia albo distincta circumibat.* Vid. Ovid. ex Pont. 3, 2, 74: *ambiat ut fulvas infula longa comas.* Valer. Flacc. 3, 189: *qua caerulus ambit balteus.* — *Coire* C. 7, 12, 9: *structura latior ab imo paulatim incremento operis in artius cogitur, ad ultimum in carinae maxime modum coit.* Verbum ab rebus similibus certe non alienum. Vid. pag. 438. *b.* — *Subire* C. 9, 38, 1: *adversum flumen subit classis.* Vide pag. 872. *a.* Et C. 4, 16, 24: *navigia, quae muros subibant.* — *Percurrere* C. 8, 32, 26: *totas* (columnas) *vitis auro caelata percurrit,* quod certe ne hoc quidem loco erat praetermittendum. Vide supra §. 8. — *Evadere* C. 4, 57, 17: *paucae evasere quadrigae in ultimam aciem.* Et 8, 46, 27: *ceterae* (naves) *evadunt.* — *Excedere* C. 4, 43, 8: *navigia, quae modum excedunt.* V. Liv. 5, 23, 4: *triumphus omnem consuetum honorandi diei illius modum aliquantum excessit.* — *Succedere* C. 4, 12, 2: (navis) *celeriter ad molem successit.* — *Amplecti* C. 7, 26, 10: *LXX stadia murus urbis amplectitur.* Hor. art. poet. 208: *postquam coepit — urbem la-*

xior amplecti murus —. A quo non multum differt Liv. 41, 18, 1: *muro insuper amplexi.* Praeterea v. Lucan. 4, 15: *saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu.* Exemplo fuit Cicero Caecin. 14, 40: *ala eam constituerint* (actionem), *quae nequaquam satis verbis causam et rationem iuris amplecteretur.* — *Complecti* C. 8, 37, 25: *XXXV stadium murus urbem complectitur.* 5, 5, 31: *arcem ambitu XX stadia complexam habent.* Vid. Cic. de rep. 6, 17, (4), 17: *quorum unus est coelestis* (orbis), *extimus, qui reliquos omnes complectitur.* — *Concipere* C. 4, 12, 2: *quum magnam vim venti vela concepissent.* Vid. Ovid. Met. 12, 569: *decidit in terram, non concipientibus auras infirmis pennis.* Ib. 1, 337: *bucina, quae medio concepit ut aera ponto, litora voce replet.* Lucret. 6, 470: *declarant litore vestes suspensae quum concipiunt humoris adhaesum.* — *Intercipere* C. 4, 52, 38: *usum aurium intercipiente fremitu duorum agminum.* Et C. 4, 8, 9: *praeceps in salum murus pedestre interceperat iter,* ubi vide quae diximus pag. 196. *b.* — *Abrumpere* C. 5, 17, 1: *praealtae praecipitesque fossae pluribus locis obiectae abruperant iter.* — *Interrumpere* C. 6, 32, 3: *interrupit orationem militum gemitus.* V. Caes. b. civ. 3, 19: *quorum mediam orationem interrumpunt undique subito tela immissa.* — *Concutere* C. 4, 3, 20: *strepitum armorum, qui totam Asiam concusserat, non exaudiebat* (Abdalonymus). Conferre licet Virgil. Aen. 12, 593: *accidit haec fessis etiam fortuna Latinis, quae totam luctu concussit funditus urbem.* Lucan. 6, 163: *securasque fragor concussit Caesaris aures.* — *Extrahere* C. 8, 22, 14: *ludi convivales extraxere tempus.* Lucan. 4, 200: *extrahit insomnes bellorum fabula noctes.* — *Destituere* C. 4, 34, 8: *mersa navis omnes destituit.* Saepe idem verbi usus reperitur, ubi de rebus a natura generatis agitur. — *Abhorrere* C. 3, 2, 14: *vehiculum — cultu a vilioribus — abhorrens.* 3, 16, 19: *cultus habitusque paulum a privato abhorrens.* 6, 5, 5: *inconditum et abhorrens peregrinis auribus carmen.* Quod quamvis a primaria vocabuli potestate discedere videatur, tamen ne Cicero quidem talia usquam sprevit. Vid. p. 511. *b.* — *Elanguescere* C. 4, 57, 19: *proelium, quod iam elanguerat.* 6, 2, 11: *tandem Laconum acies languescere — coepit.* Vid. Liv. 28, 25, 11: *seditionem iam per se languescentem.* — Ceterum consulto praetermissa sunt exempla ea, in quibus nomina, quibus multitudo quaedam hominum comprehenditur, cum eiusdem generis verbis copulata sunt, velut *urbs, civitas, concio, exercitus, acies, agmen.* Nam quid mirum de pluribus dici, quae in singulos cadant?

§. 11. Sequitur illud translationum genus, quo vocabula hominum bestiarumque propria transferuntur in res, quae sub sensus non cadunt, sed animo tantum et cogitatione formantur et comprehenduntur. Sed harum non eadem omnium *ratio* est. Nam aliae derivatae sunt ex universa rerum natura, aliae ex natura humana

maximeque ex natura animi humani, aliae coniunctae sunt cum rerum publicarum, civilium, domesticarum statu. De his singillatim dicemus.

§. 12. Ex his primum vocabulis, quibus quae subiectae sunt notiones, originem habent ab universa rerum natura, commemoranda primo loco est ipsa *natura*, quam haud raro Curtius ita usurpat, ut quae hominum propria solent esse verba, illi accommodet. Ita 9, 16, 18: *emoriens natura.* 9, 6, 33: *tantam in illis animalibus ad venandum cupiditatem ingenerasse naturam memoriae proditum est.* 6, 40, 33: *tibi carnifex spiritum adimet, quem si fortuna expectare voluisset, natura poscebat.* 7, 41, 10: *nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti.* 8, 6, 1: *male humanis ingeniis natura consuluit, quod plerumque non futura, sed transacta perpendimus.* 9, 16, 18: *cogique adire, quae mortalium oculis natura subduxerit.* 9, 26, 22: *aperiam cunctis gentibus terras, quas natura longe summoverat.* 8, 37, 24: *velut de industria rupes praealtas admolita natura est.* 7, 41, 4: *cupido incessit animo naturam quoque fatigandi.* Res est notissima et omnium usu trita; v., ut his utar, Cic. Off. 1, 31: *nihil decet, invita, ut aiunt, Minerva, id est, adversante et repugnante natura.* Liv. 5, 27, 6: *quam* (societatem) *ingeneravit natura.* — Deinde *fortuna*, velut C. 4, 21, 2: *nunquam diu eodem vestigio stare fortunam.* 3, 21, 20: *illam ipsam fortunam, qua aspirante res tam prospere gesserat.* 4, 6, 40: *unum certamen, ex quo cetera pendebant, intuente fortuna.* 4, 28, 29: *iam tum peregrinos ritus nova subeunte fortuna.* 4, 61, 10: *propemodum seculi res in unum illum diem fortuna cumulavit.* 8, 11, 1: *fortuna indulgendo* (Liv. 23, 2, 1) *ei nunquam fatigata.* 3, 19, 2: *neu sub unum fortunae ictum totas vires regni cadere pateretur.* 3, 13, 11: *in quo me articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis.* Vide Hirt. de bell. alex. 62, 3: *fortuna saepe ad utrumque victoriam transferente.* De b. afr. 61, 6: *quod gaudium bellantibus fortuna tribuere non decrevit.* Liv. 22, 29, 1: *deprehendit fortuna temeritatem.* 23, 24, 6: *aliam* (cladem) *super aliam cumulante in eum annum fortuna.* — *Fatum* C. 10, 5, 30: *fatum, cuius inevitabilis sors est, appetebat.* Vide pag. 140. *b.* Cfr. Hor. Serm. 1, 9, 29: *namque instat fatum mihi triste.* Ovid. Met. 7, 605: *ultroque vocant venientia fata.* Senec. Oedip. 860: *fata iam accedunt prope.* Et C. 10, 18, 36: *expectavere eum fata, dum — quicquid mortalitas capiebat, impleret.* V. Hor. Epod. 17, 62: *sed tardiora fata te votis manent.* Virgil. Aen. 10, 438: *mox illos sua fata manent maiore sub hoste.* — *Necessitas* C. 5, 14, 12: *promissis, quanta praesens necessitas exigebat.* 4, 5, 29: *omnia experiri necessitas cogebat.* 7, 21, 17: *consilium, quod unum necessitas subiecerat.* 4, 55, 22: *etiamsi spes non subesset, necessitas tamen stimulare deberet.* 5, 16, 31: *ignaviam quoque necessitas acuit.* Vid. Cic. Philipp. 5, 19, 53: *facilius apparabitis ea, quae tempus et necessitas flagitat.* — *Aetas*

C. 4, 53, 10: *imperium, quo nullum amplius* *v i d i t a e t a s.* 8, 18, 11: *tantundem quoque posteros credere, quantum praesens* *a e t a s s p o p o n d i s s e t.* Cuius generis usus sat vulgatus. Vide Plin. N. H. 34, 7, 17: *a e t a s n o s t r a v i d i t in Capitolio — canem ex aere vulnus suum lambentem.* — *V e t u s t a s* C. 3, 10, 10: *multa in ea regione monumenta, vulgata carminibus,* *v e t u s t a s e x e d e r a t.* 5, 5, 34: *quum* *v e t u s t a s* *non opera solum manu facta, sed etiam ipsam naturam paulatim* *e x e d e n d o p e r i m a t.* Vid. Ovid. Metam. 15, 872: *non poterit ferrum nec* *e d a x* *abolere* *v e t u s t a s.* Senec. Oedip. 535: *huius abrupit latus* *e d a x v e t u s t a s.* Lucan. 7, 397: *non* *a e t a s* *haec carpsit* *e d a x.*

§. 13. Deinde satis frequens est translatio ab hominibus bestiisque in res ex natura humana maximeque ex natura animi mente quasi derivatas. Non praetermittendum est hoc loco, licet alienum videatur, vocabulum *a n i m u s*, quippe cui idem illud accidat manifesto. C. 9, 24, 12: *h o r r e t a n i m u s cogitatione rei.* 5, 25, 10: *consilium fugae, a qua multum* *a b h o r r e t a n i m u s.* 4, 25, 3: *i n g e n i i s — multum a Persarum luxu* *a b h o r r e n t i b u s.* Etenim quum horroris notio coniunctissima sit cum corpore, videlicet horrere proprie dicitur cutis et pili eius, qui summo timore concutitur, pili enim eriguntur, fluctuat quasi et contrahitur cutis, metaphora inde deprompta animus horrere dicitur eius, qui eodem similive affectu concutitur, qui timet, qui aversatur. Dux et auctor fuit Cicero ad Att. 2, 6, 1: *a scribendo prorsus* *a b h o r r e t a n i m u s.* Adde Liv. 9, 30, 7: *consilio haud abhorrente ab ingeniis hominum.* 29, 42, 10: *ne ipsius quidem regis* *a b h o r r e b a t a n i m u s.* 30, 30, 9: *a n i m o non* *a b h o r r e n t e a quietis consiliis.* 42, 62, 8: *nunquam ab talibus consiliis* *a b h o r r e b a t* *regis* *a n i m u s.* 28, 29, 4: *h o r r e t a n i m u s referre.* — *R a t i o* C. 5, 26, 5: *hoc autem brevi futurum* *r a t i o p r o m i t t i t.* Vid. p. 470, *b.* et Hor. Serm. 1, 2, 50: *at hic si, qua res, qua* *r a t i o s u a d e r e t, — vellet bonus atque benignus esse.* Senec. Hippol. 184: *quod* *r a t i o p o s c i t,* *vicit ac regnat furor.* De Harusp. respons. 2, 3: *qui hesterno die dolore me elatum et iracundia longius progressum arbitrabantur, quam sapientis hominis cogitata* *r a t i o p o s t u l a r e t.* — *M e n s* C. 8, 22, 18: *adeo pertinax spes est, quam humanae* *m e n t e s d e v o r a v e r u n t,* de quo diximus p. 759. *a. b.* Conferre licebit Cic. in Pison. 21, 48: *quum partim eius praedae* *p r o f u n d a e l i b i d i n e s d e v o r a s s e n t,* *partim nova quaedam et inaudita* *l u x u r i e s.* — *C o g i t a t i o* C. 7, 1, 4: *horum* *c o g i t a t i o s u b i b a t* *exercitum.* Liv. 10, 45, 3: *s u b i b a t c o g i t a t i o* *animum.* 42, 49, 4: *s u b i t c o g i t a t i o animum.* — *M e m o r i a* C. 3, 14, 11: *s u b i t* *animum* *m e m o r i a* *regis oraculo editae sortis.* 7, 3, 24: *modo coniugum et liberorum patriaeque* *m e m o r i a o c c u r r i t.* Vid. Liv. 40, 8, 10: *s u b i t u r a m* *vobis aliquando germanitatis* *m e m o r i a m.* — *C o n s c i e n t i a* C. 5, 31, 7: *s t i m u l a n t c o n s c i e n t i a.* Cic. Parad. 2, 18: *te* *c o n s c i e n t i a e s t i m u l a n t* *maleficiorum tuorum.* Idem verbum saepissime reperitur cum aliis nominibus simillimis coniunctum. V. Cic. Epp. Fam. 3, 12 fin. Sall. Cat.

18, 4. Liv. 1, 23, 7. 1, 40, 4. 2, 35, 7. 3, 35, 3. 5, 4, 12. 10, 5, 2. 10, 31, 6. 21, 54, 6. 23, 25, 6. 25, 13, 7. 30, 9, 9. 30, 44, 9. 42, 29, 2. 44, 17, 6.

Sequuntur affectuum nomina. *Cupido* C. 4, 29, 8: *ingens cupido animum stimulabat adeundi Iovem.* Vide quae modo diximus. Deinde 3, 2, 16: *cupido incessit animo sortis eius implendae.* 4, 33, 3: *cupido — incesserat — Aethiopiam invisere.* Vide Sall. Cat. 7, 3: *tanta cupido gloriae incesserat.* Liv. 1, 56, 10: *cupido incessit animos iuvenum sciscitandi —.* Idem verbum ad alias res eiusdem generis traductum saepe legitur; vide Caes. b. c. 2, 29, 1. 3, 74, 1. 3, 101, 3. Sall. Cat. 13, 3. 31, 3. Iug. 41, 8. Liv. 2, 7, 1. 2, 18, 8. 2, 32, 1. 3, 59, 1. 9, 8, 11. 25, 1, 6. 27, 33, 9. 28, 3, 10. 29, 3, 9. — *Libido* C. 3, 28, 21: *nec corporibus quidem vis ac libido parcebat.* 8, 31, 19: *aestimantur purgamenta exaestuantis freti pretio, quod libido constituit.* V. Crass. ap. Cic. Orat. 65, 219: *ubi lubido dominatur, innocentiae leve praesidium est.* — *Desiderium* C. 6, 7, 1: *minime mirum est, desiderium quietis — occurrere,* quod verbum ad res, quarum in mentem venit, haud raro ab ipso Cicerone translatum est. — *Amor* C. 5, 19, 20: *si quos contubernii liberorumque, quos servitus coegisset agnoscere, amor detineret.* V. Virg. Ecl. 10, 44: *nunc insanus amor duri me martis in armis tela inter media atque adversos detinet hostes.* Sall. Cat. 4, 2: *a quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat.* Cic. Epp. Fam. 2, 11: *mirum me desiderium tenet urbis, incredibile meorum, atque inprimis tui, satietas autem provinciae.* — *Spes* C. 3, 14, 5: *quicquid aut metus aut spes subiecerat.* 4, 60, 6: *spes languentes quoque erexerat.* Vid. Cic. Epp. Fam. 5, 13: *te spes aliqua consolatur.* Ib. 12, 14: *si Syriae spes eum frustrata esset.* Cfr. C. 4, 44, 24. — *Reverentia* C. 8, 26, 8: *ubi reverentia excessit animis.* Vide Terent. Hecyr. 3, 2, 12: *istoc verbo animus mi rediit et cura ex corde excessit.* Cic. Parad. 5, 3, 40: *quum cupiditatum dominatus excessit.* — *Verecundia* C. 5, 8, 15: *subiit regem verecundia violandi hospitales deos.* V. supra et infra. — *Aegritudo* C. 3, 13, 10: *animi aegritudo corpus urgebat.* V. Cic. Tusc. 3, 25, 61: *opinio et iudicium magni praesentis atque urgentis mali.* — *Dolor* C. 8, 10, 40: *maestum regem alius haud levis dolor excepit.* 10, 17, 21: *recens dolor etiam praeterita revocaverat.* Cfr. 6, 17, 19. — *Metus* C. 4, 46, 14: *lymphati trepidare coeperunt, omnium pectora occulto metu percurrente.* 3, 28, 17: *idem metus, qui cogebat fugere, fugientes morabatur.* 3, 14, 5, quo loco iam usi sumus. V. Virg. Aen. 2, 120: *gelidusque per ima cucurrit ossa tremor.* Ovid. Heroid. 5, 37: *gelidusque cucurrit — dura per ossa tremor.* Virg. Aen. 11, 732: *quis metus — quae tanta animis ignavia venit?* Valer. Flacc. 7, 182: *nec te nunc Hecates subeat metus.* — *Pavor* C. 4, 46, 14: *Alexandri exercitum pavor, cuius causa non suberat, invasit.* Vide mox. Et 8, 8, 24: *ingens barbaros pavor, rudes ad talia opera, concusserat.* V. Virgil. Aen. 3, 29: *mihi frigidus*

horror membra quatit. Senec. Thyest. 260: *tumultus pectora — quatit penitusque volvit.* Agam. 5: *pavor membra excutit.* Valer. Flacc. 5, 551: *crebrior incussit mentem pavor.* — *Terror* C. 7, 36, 6: *ingens navigantes terror invaserat.* Caes. B. civ. 1, 14, 1: *tantus repente terror invasit.* Liv. 2, 9, 5: *terror senatum invasit.* Idem verbum alia nomina saepe sibi asciscunt. Vide Sallust. Cat. 5, 6. 10, 6. 12, 2. 31, 1. 36, 5. Iug. 13, 1. 24, 2. 32, 4. 39, 1. 84, 3. 89, 6. Liv. 31, 18, 6. — *Poenitentia* C. 3, 5, 19: *sera poenitentia subiit regem.* Vide supra. Et 8, 29, 23: *quam crudelitatem sera poenitentia consequuta est.* V. Cic. Tusc. 4, 8, 19: *ex quo fit, ut pudorem rubor, terrorem pallor et tremor et dentium crepitus consequatur.* — *Ira* C. 8, 6, 1: *ira mente decesserat.* Vide quae diximus p. 730. a. et adde Sall. Iug. 41, 3: *ubi illa formido mentibus decessit.* Liv. 2, 31, 7: *cura decesserat.*

Praeter haec vocabula alia hoc loco recensenda esse videntur, quae ad mores maximam partem pertinent. Ita *iustitia* C. 4, 43, 2: *Dareum, ut pacem a te peteret, nulla vis subegit, sed iustitia et continentia tua expressit.* — *Liberalitas* C. 8, 43, 47: *quae liberalitas — barbarum obstrinxerat.* — *Crudelitas* C. 3, 28, 22: *quum per omnes ordines aetatesque victoris crudelitas ac licentia vagaretur.* Proxime accedunt Lucan. 2, 101: *nobilitas cum plebe perit, lateque vagatur ensis.* Hor. Carm. 4, 15, 9: *ordinem rectum evaganti frena licentiae iniecit.* Plin. N. H. 11, 29, 35: *tot orbis partibus vagatur id malum.* — Et C. 5, 20, 6: *neque avaritia solum, sed etiam crudelitas in capta urbe grassata est.* Cfr. Plin. N. H. 26, 1, 3: *aliqua gigni repente vitia terrarum in parte certa, membrisque hominum certis vel aetatibus aut etiam fortunis, tanquam malo eligente, haec in pueris grassari, illa in adultis.* Iustin. 23, 2, 4: *per omnes nervos articulosque humore pestifero grassante.* Adde Boetticher Lex. Tac. p. 225. — Et C. 9, 42, 30: *adeo nec luxuriae quicquam crudelitas, nec crudelitati luxuria obstat.* Vid. Cic. Mil. 35, 96: *sibi facinoris suspicionem, non facti crimen obstare.* — *Levitas* C. 5, 32, 4: *inclinata in scelus levitas.* Vid. Cic. Catil. 4, 3, 6: *quocunque vestrae mentes inclinant atque sententiae.* Vide Boetticher Lex. Tac. p. 249. — *Temeritas* C. 8, 45, 15: *si unquam temeritas felix inveniret modum.* V. Plin. N. H. 33, 10, 47: *quae amentia est, id in vita cupere, quod aut etiam servis contigerit, aut ne in regibus quidem invenerit finem.* — Et C. 4, 54, 13: *temeritas — ubi primum impetum effudit, velut quaedam animalia amisso aculeo, torpet.* Vid. Liv. 1, 41, 3: *si tua re subita consilia torpent, at tu mea sequere.* — *Favor* C. 10, 23, 13: *abeunte illo, conticuerat magis, quam languerat, militaris favor.* V. Cic. Brut. 94, 324: *perterritum armis hoc studium nostrum conticuit subito et obmutuit.* Liv. 2, 29, 11: *iam hic, quo nunc omnia ardent, conticescet furor.*

Denique ex his rebus, quae cogitatione formantur et ex natura humana derivantur, nonnullae supersunt, quae ad corpus maxime pertinere videantur. Inter has reposuerim vocabulum *vigor* C. 7, 13, 14: *membris aliquis redibat vigor.* Vid. Virg. Georg. 4, 418: *habilis membris venit vigor.* — Et C. 10, 31, 12: *vigor quoque, qui constat ex spiritu, non destituerat vultum.* Vid. Lucan. 3, 715: *postquam membris sensit constare vigorem.* Plin. N. H. 9, 35, 54: *nec nisi in iuventa constat ille qui quaeritur vigor.* — Deinde *vultus*, sermo ille tacitus mentis, C. 8, 16, 30: *post Cliti caedem libertate sublata, vultu, qui maxime servit, assentiebantur.* 6, 3, 17: *nec fallebat Antipatrum, dissentire ab animis gratulantium vultus.* 4, 28, 27: *contumaci vultu intuens regem.* 5, 25, 14: *vultum superbum.* V. Senec. Hercul. Oet. 705: *licet ipsa neges, vultus loquitur, quodcunque tegis.* Praeterea conferre licebit Cic. Philipp. 8, 10, 29: *o dii immortales! quam magnum est, personam in republica tueri principis, quae non animis solum debet, sed etiam oculis servire civium.*

§. 14. Postremo dicendum de translationibus iis, quae fiunt ab hominibus bestiisve in res ex statu rerum domesticarum, civilium, publicarum mente et cogitatione derivatas. Accidunt autem illae haud raro in iis vocabulis, quae cum vocabulo *res* copulantur, velut C. 3, 13, 11: *in quo me articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis,* quod satis illustrasse videmur pag. 68. *b.* Deinde C. 8, 19, 19: *eodem cursu, quo fluxere adhuc res, ire patiantur.* V. Virg. Aen. 7, 592: *saevae nutu Iunonis eunt res.* — Et C. 3, 12, 5: *in tanto impetu cursuque rerum.* V. Liv. 28, 40, 10: *quum vigerem adhuc viribus et in cursu maximarum rerum essem.* — *Felicitas* C. 4, 54, 19: *licet felicitas aspirare videatur,* de quo diximus p. 107. *a.* — C. 8, 36, 18: *eadem felicitas ab oceano revertentes temulentos comissantesque inter ora hostium protexit.* — C. 5, 12, 22: *haesitabat deprehensa felicitas.* — C. 7, 10, 37: *consilium temerarium felicitas regis excepit.* — C. 5, 18, 12: *et calamitas querula est et superba felicitas.* — *Calamitas* praeter locum modo appositum C. 6, 37, 9: *maligna est calamitas.* — *Paupertas* C. 3, 5, 15: *paupertate magistra.* V. Cic. S. Rosc. 27, 75: *vita autem haec rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniae, diligentiae, iustitiae magistra est.* — *Periculum* C. 8, 23, 26: *quum tanti periculi — imago oculis oberraret.* 5, 26, 1: *praesentis periculi species omnium simul corda animosque horrore perstrinxerat.* — *Consuetudo* C. 6, 7, 6: *efferatos mollior consuetudo permulcet.* V. Cic. Caton. 2, 4: *praeterita aetas, quamvis longa, — nulla consolatione permulcere posset stultam senectutem.* — *Magnitudo* C. 8, 31, 17: *viribus magnitudo respondet.* V. Cic. Epp. Fam. 2, 5: *ne tua virtus opinioni hominum non respondeat.* — *Fama* C. 8, 19, 17: *in coelum fama perveheret.* 5, 24, 10: *nulla (erit) tam ingrata fama, quae non in coelum vos debitis laudibus ferat.* 4, 4, 24: *fama tota urbe*

discurrit, cum quo conferendus est Lucanus 4, 573: *nullam maiore loquuta est ore ratem totum discurrens fama per orbem.* Praeterea C. 10, 17, 18: *proximam regionem — tanti mali fama pervaserat.* V. Liv. 2, 23, 7: *tumultus totam urbem pervadit.* 5, 7, 6: *fama ea urbem pervasisset.* 5, 18, 10. 21, 14, 2. Ab his non multum distat Cic. Mil. 35, 98: *qua fines imperii populi romani sunt, ea non solum fama iam de illo, sed etiam laetitia peragravit.*

Ceterum hoc loco praeterire non licet verba ea, quae proprie actionem denotant in homines directam, sed translata sunt in res cogitatione comprehensas. Inter haec eminet *luctari*, velut C. 4, 29, 7: *luctandum est non solum cum ardore et siccitate regionis, sed etiam cum tenacissimo sabulo.* 6, 23, 27: *animi semper obluctantis difficultatibus.* 7, 1, 9: *obluctantem oblivioni.* Vide Liv. 1, 28, 4: *dimicatum est non magis cum hoste, quam — cum proditione ac perfidia sociorum.*

CAPUT V.

VOCABULA RERUM INANIMARUM PROPRIA IN RES ANIMALES A CURTIO TRANSLATA.

His duobus translationum generibus perlustratis, iam transeamus ad tertium, quod habet maiores disputandi difficultates. Complectitur autem verba in inanimis rebus propria, quae in homines bestiasque a Curtio translata sunt. Quemadmodum autem reliqua, de quibus diximus, genera in tres species divisimus, ita de hoc tripartita erit disputatio.

§. 1. Ac primum dicemus de vocabulis iis, quae quum rerum a natura procreatarum sint propria, translata reperiuntur in bestias hominesve; in quo loco ut in plerisque multo et frequentior et illustrior est ea, quae in homines fit, translatio. Quum autem haec pars multas ac varias res, minimas, maximas comprehendat, ea opportuna videtur esse disputationis ratio, ut ab maximis et gravissimis exorsi rebus per omnem quasi rerum naturam ad minimas et tenuissimas descendamus.

§. 2. Fiat igitur initium a coelo ac sideribus; nam ut omnes omnium temporum et poetae et scriptores elegantissimas inde derivarunt metaphoras, ita Curtius indidem sollerter sumpsit *sidus* 9, 24, 8: *quis deorum hoc Macedoniae columen ac sidus diuturnum fore polliceri potest, quum tam avide manifestis periculis offeras corpus*, quo et splendorem Alexandri, qui rebus gestis ac virtute inter omnes clarissime excelluit, et coelestem eius vim ac naturam, utpote qui suo nutu fata imperii regere videbatur, satis illustravit. V. 10, 28, 3: *qui noctis, quam paene supremam habuimus, novum sidus illuxit*, et cfr. pag. 850. a. 923. a. LXV. Ceterum eiusmodi translatio ne cui durior videatur et longius petita, simillima certe usus est Cicero de nat deor. 2, 5, 14: *sole geminato, quod, ut e patre audivi, Tuditano et Aquillio consulibus evenerat, quo quidem anno P. Africanus sol alter exstinctus est.*

§. 3. Deinde accedamus ad eas res, quae a terra oriuntur, unde egregiae quaedam sumptae sunt translationes. Ita usurpatum est *stirps* C. 8, 21, 6: *hinc habuere posteri reges, quorum stirpibus (sive stirpi) post multas aetates Romani opes ademerunt.* Nam tota illa posterorum propago arboris similitudinem referre videbatur ex eadem radice ac stirpe multas propagines ac ramos diffundentis. Et saepius ad idem genus recurrit, velut 10, 12, 12: *quum stirpem generis mei latius propagare cuperem.* Quod multis exemplis illustrare nihil erit opus. — Indidem *florere* translatum est C. 5, 30, 5: *et in hoc tuo statu iidem, qui florente te fuimus.* 10, 17, 23: *ipsum Dareum floruisse paulisper, ut crudelius posset exstingui.* 6, 14, 3: *tu quidem, rex, deos quaeso, perpetua felicitate floreas.* Nam quum flos pulcherrimum arborum sit decus et quo tempore florem emittunt illae, laetissimo ac praestantissimo statu gaudeant, florere non immerito dicitur, qui pulcherrima et opportunissima fruitur rerum suarum conditione, qui summa pulchritudine, summa felicitate, summa potentia, summa laude ornatus est. Hac translatione saepissime usus est Cicero, velut Epist. ad Fam. 2, 13: *hominem florentem aetate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis.* De orat. 1, 1, 1: *quum et honoribus et rerum gestarum gloria florerent.* Caes. b. g. 7, 32, 4: *florentem et illustrem adolescentem.* Sall. Cat. 39, 2: *ipsi innoxii, florentes —.* Aem. Prob. Milt. 1, 1: *Miltiades quum et antiquitate generis et gloria maiorum et sua modestia floreret.* Corn. Nep. Att. 11, 4: *quod non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit.* Ib. 11, 4: *non minus post mortem eius quam florentem.* Liv. 26, 3, 10: *florens tum et fama rerum gestarum et propinqua spe Capuae potiundae.* 29, 1, 2: *iuvenes florentes aetate et virium robore.* — Proximum est *viridis* C. 10, 15, 10: *tam viridem — invidia deum ereptum esse rebus humanis,* quod ne quis nimiae audaciae arguat, defendam Ciceronis testimonio Lael. 3, 11: *senectus quamvis non sit gravis —, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiamnum erat Scipio.* Etenim ut virentes herbae in ipso suo vigore sunt et succi plenae, ita corpora iuvenilia atque virilia sana, integra, solida, succi plena esse solent. — Denique huc retulerim *mitis*, quod primariam eius vocabuli significationem non eam esse putaverim, quam Doederl. Syn. 5, p. 1 defendere videtur, ut *mitis* idem sit quod μείλιχος, et ad animum proprie referatur, sed eam, ut ab frugibus maturitatem sentientibus derivetur, qua de re diximus p. 650. *b.* Hinc translatum esse arbitramur vocabulum in homines placidos ac lenes, velut C. 3, 19, 5: *Dareus, ut erat sanctus ac mitis.* 5, 29, 14: *Dareum natura simplicem et mitem.* Ita Cic. Catil. 4, 5, 10: *homo mitissimus atque lenissimus.*

§. 4. Iam de rebus fluidis videbimus, in quibus multa sunt et praeclara translatorum verborum exempla. Satis exquisitum in hac causa illud est, quod *inundare* a mari et undis translatum est in hominum multitudinem, quae regioni quasi se superfudit, v. C. 4, 46, 20: *multitudo inundaverat campos.* 5, 23, 8: *mille na-*

vium classem et exercitus, quibus Europa inundata est. Rem illustravimus pag. 321. a, allatis Virgilii Iustinique testimoniis. — Vulgatius profecto et minus lubricum est, quo saepe utuntur rerum scriptores, *fundere*, ut ap. C. 4, 6, 35: *tribus proeliis — Persae funduntur*. 4, 63, 29: *perculsos deinde hostium fudit.* 8, 3, 25: *fusos fugatosque hostes.* — Nec minus apertum et illustre est *circumfundere*, quod in utramque partem intelligere licet; nam et amico animo et inimico homines circumfundi dicuntur. Illud factum est apud C. 7, 20, 9: *anxium regem tantis malis circumfusi amici, ut meminisset sui, orabant.* Adde 3, 24, 13: *ut non pedes solum pluribus ordinibus incedere, sed etiam lateribus circumfundi posset equitatus.* Et Cic. Milon. 26, 71: *illis publicorum praesidiorum copiis circumfusus sedet.* Liv. 21, 55, 2: *in cornibus circumfudit decem milia equitum.* 22, 7, 11: *circumfundebantur obviis sciscitantes.* 2, 22, 6: *magna circumfusa multitudo.* 2, 23, 5. 2, 28, 6. 5, 55, 2. 6, 15, 9. 10, 25, 6. 21, 14, 1. 22, 14, 15. 9, 19, 3. 27, 31, 3. 42, 15, 7. — Alterum saepius accidit, velut C. 3, 26, 4: *ipsi in medium Persarum undique circumfusi egregie nitebantur.* 4, 58, 21: *ni equites Agriani calcaribus subditis circumfusos regi barbaros adorti essent.* 8, 50, 31: *tela multo ante praeparata in circumfusos ex elephanto suo coepit ingerere.* 9, 3, 16: *ab utroque latere vehiculis circumfusi.* Accedat 4, 47, 6: *tantam multitudinem circumfundi paucioribus posse.* Vid. Caes. b. g. 6, 37, 4: *circumfunduntur ex reliquis hostes partibus.* 6, 34, 8: *magna multitudine circumfusa.* b. c. 3, 63, 6: *magna multitudo sagittariorum ab utraque parte circumfundebatur.* Liv. 25, 34, 9: *equites Numidae repente — ab lateribus circumfusi magnum terrorem intulere.* 28, 26, 13: *armati — inermi se concioni ab tergo circumfuderunt.* 29, 2, 11: *iam missum ab se Cornelium Servium procella equestri hostes circumfusurum.* Hirt. b. g. 8, 29, 3: *nostri equites — cedentibus circumfusi.* Caes. b. c. 1, 67, 2: *circumfundi noctu equitatum Caesaris.* Sall. Iug. 97, 5. Liv. 29, 33, 5. 29, 34, 14. 38, 2, 9. — His proximum est *confundere* C. 4, 61, 11: *eques pedesque confusi sine duce, armatis inermes, integris debiles implicabantur.* Vid. Liv. 9, 27, 10: *ordines peditum atque equitum confundit.* — Deinde *affluere* C. 9, 19, 7: *quum subinde hostis afflueret.* V. Liv. 29, 30, 7: *affluebant undique — milites.* 35, 3, 1: *affluente quotidie multitudine ad famam belli.* Adde Caes. b. g. 7, 44, 2: (perfugarum) *magnus ad eum quotidie numerus confluebat.* Sall. Cat. 37, 5: *hi Romam sicuti in sentinam confluxerant.* Aem. Prob. Alc. 6, 1: *ut ad eius triremem vulgus conflueret.* Liv. 5, 46, 4: *ex Latio voluntariis confluentibus.* 28, 46, 11: *ad famam nominis eius Gallis undique confluentibus.* Quod ne Cicero quidem sprevit. V. Brut. 74, 258. — Alia eaque et ipsa satis expedita animi maxime affectum describunt; velut *confundere* ap. C. 7, 31, 23: *Alexander non ira solum, sed etiam pudore confusus.* Adde 6, 26, 18: *ore confuso magnae per-*

turbationis notas prae se ferens. Vid. Liv. 6, 6, 7: *Camillus, confusus animo, gratias egit.* 6, 34, 8: *confusam ex recenti morsu animi.* — Deinde illud quoque manifestum est, quod legitur C. 4, 46, 21: *fluctuari animo rex,* quod Livii similitudinem referre demonstravimus pag. 321. b. Fluctuare proprie mare dicitur tempestate iactatum; quod si quis curis et cogitationibus vexatur et agitatur, eius animus fluctuantis maris quandam similitudinem habet. Quamquam poterit etiam a navi in alto fluctuanti metaphora derivari. V. Cic. Verrin. 2, 5, 35, 91: *quadriremem in salo fluctuantem reliquerat.* — Paulo impeditiorem explicatum habent reliqua ex hoc genere exempla, in quibus minus perspicua est similitudinis ratio. Ita *effundi* C. 8, 50, 34: *equus — procubuit, posito magis rege, quam effuso,* quae liviano usu illustravimus p. 809. b. Add. Ovid. Met. 6, 229. Proprium est effundendi verbum in aqua e vase emissa; quae quum non lente ac remisse, sed celeriter ac temere profluere soleat, in alias illud res haud raro transfertur sive fluidas sive solidas, quae in quo loco insunt, ex eo loco celeriter atque vehementer emittuntur. In equitem autem eo magis cadit translatio, quod dum haeret equo, non immotus sedet, sed sicut aqua in vase, ita varium in modum equi motu et ipse movetur atque concutitur. — Sed superest alter eiusdem verbi usus, varius ille quidem et in plures significationis dissimilitudines diffusus, sed ad idem tamen genus referendus, C. 5, 6, 37: *Babylonii maxime in vinum — effusi sunt.* 8, 16, 25: *in amorem virgunculae — effusus est.* 4, 62, 20: *omnes hostes aut in fugam effusos aut in acie cecidisse credebant,* quod nonnunquam repetitum est. Vid. Liv. 42, 30, 2: *principum diversa cerneres studia: pars ita in Romanos effusi erant, ut auctoritatem immodico favore corrumperent.* 25, 20, 6: *in tantam licentiam socordiamque effusos.* 29, 23, 4: *et sunt ante omnes Numidae barbaros effusi in venerem.* 34, 6, 9: *ne* (matronae) *effundantur ad luxuriam.* 27, 1, 12: *pars in fugam effusi.* 28, 13, 9. 28, 15, 9. 33, 18, 18. 40, 40, 10. Ac profecto temeraria illa libidinosi hominis levitas, praeceps illa militum ignavorum fuga quo tandem verbo clarius et illustrius describi potest? Nam qui paulo ante artissimis prudentiae et temperantiae aut disciplinae militaris vinculis astricti fuerant, illi iam perruptis omnibus claustris in planum sese proripiunt et vana quadam felicitatis sive salutis specie occaecati in extremum periculum feruntur. — Ab his seiungendum non est diffundendi verbum C. 10, 18, 37: *nomen eius et fama rerum in totum propemodum orbem reges et regna diffudit.* Diffundi proprie dicitur aqua aliaque, quae fluunt; velut diffundi dicitur flumen, quod angustioribus ante coercitum ripis iam spatiosiore volvitur alveo (Curt. 6, 10, 6); diffundi item flumen, quod in plures partes dividitur; diffundi mare, quod per varias orbis partes effunditur; diffundi sanguis, qui per venas in omne corpus penetrat. Iam quod Curtius reges et regna in totum orbem dicit diffundi, illum rerum gestarum impetum atque cursum comparare videtur cum mari per magnam orbis partem diffuso: nam ut fluctus maris in omnes terrae partes suo

impetu feruntur, ita qui Alexandrum orbem victoriis peragrantem sequuti sunt, in varias illius partes disiecti quasi ac dissipati esse dicuntur. Quocirca ne illud quidem audaciae argui potest, quod ad homines translatum est verbum: exemplum haud omnino absimile est apud Cic. pro Sest. 45, 97: *numerus huius generis* (optimatium) *late et varie diffusus est.*

§. 5. Deinde ex iis vocabulis, quae propria sunt de aere, unum hoc loco commemorandum est, quo saepe utitur Cicero, *inflare* ap. C. 10, 38, 14: *titulo spartanae victoriae inflatum.* Vide Caes. b. c. 3, 108, 2: *regis inflatum pollicitationibus*, et b. g. 8, 10, 4: *Germanorum adventu barbari inflabantur.* A quo non disiungenda, quae sunt apud eundem b. c. 2, 17, 3: *latius et inflatius Afranius perscribebat.* 3, 79, 4: *latius inflatiusque multo, quam res erat gesta, fama percrebruerat.* 2, 39, 4: *haec ab ipsis inflatius commemorabantur.* Deinde Hirt. de b. alex. 65, 3: *secundo proelio vehementer inflatus.* Liv. 6, 23, 3: *multitudinis ex incertissimo sumentis animos spe inflatus.* 24, 6, 8: *inflatus assentationibus eorum.* 24, 22, 8: *Hieronis filia, inflata adhuc regiis animis ac muliebri spiritu.* 29, 37, 9: *sive ex vetere simultate sive intempestiva iactatione severitatis inflatus.*

§. 6. Praeterea exstant praeclara aliquot metaphorae exempla, quae ab vocabulis deprompta sunt, quae de igne proprie dici apparet. Sic *ardere* C. 8, 21, 8: *ex eadem cohorte erat Sostratus, amore eius ardens*, in quo illud notatione non indignum videtur, quod amorem non palam flagrantem et in vesaniam effusum, sed suppressum dicit et occulto pectus perurentem; quam quidem propriam esse vocabuli potestatem docuit Doederl. Syn. 4, p. 251. Ceterum idem usus frequentissimus fuit optimorum scriptorum. Vide Cic. Verr. 2, 2, 47, 116: *ardebat* (Verres) *amore illius hospitae, propter quam hospitii iura violarat.* Caes. b. c. 3, 74, 2: *omnes arderent cupiditate pugnandi.* Liv. 1, 58, 2: *amore ardens.* — Deinde *exardescere* C. 7, 16, 19: *Bessus et ingenio et multo mero ferox, adeo exarsit, ut vix ab amicis — contineretur*, quod vocabulum usu tritum est a Cicerone. Adde Caes. b. g. 5, 4, 4: *multo gravius hoc dolore exarsit.* Liv. 3, 30, 2: *adeo exarserant animis.* — Maiorem affectus impetum denotat *flagrare;* nam qui flagrare dicitur aliqua cupiditate, is quasi quodam incendio correptus est et plane inflammatus. Vid. Doederl. Syn. 4, p. 251. Ita C. 8, 11, 2: *Spitamenes uxoris immodico amore flagrabat.* 6, 25, 2: *Dimnus — exoleti — amore flagrabat;* videlicet idem mox dicitur *male sanus amore.* Praeterea C. 3, 16, 17: *haud facile dictu est, — quantum huius utique regis vel admirationi dediti fuerint, vel caritate flagraverint*, quibus ipsis verbis quantus fuerit et quam vehemens populi amor, satis intelligitur. Illud genus apud alios scriptores optimos saepissime reperitur. V. Cic. Tusc. 4, 33, 71: *maxime vero omnium flagrasse amore Rheginum Ibycum apparet ex scriptis.* Alterum similitudine satis munitum esse crediderim.

Vid. Sall. Fragm. p. 947 C.: *flagrantes inopia et cupidinibus, scelerum conscientia exagitati.* Aem. Prob. Milt. 5, 1: *quae manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate.* Dion. 2, 2: *Dion eius audiendi cupiditate flagraret.* Liv. 21, 10, 4: *flagrantem cupidine regni.* — Saepissime autem accendendi verbum apud Curtium in homines reperitur translatum. Primum *accendi* dicuntur homines, qui animi quodam motu vehementer afficiuntur et concitantur; additur autem ablativus aut eius affectus, quo quis captus est, aut eius rei, unde impulsus ortus. Ex illo genere sunt C. 4, 28, 24: *ira accensus.* 5, 28, 1: *regni cupiditate accensi.* 6, 19, 25: *haec cupidine visendi regis accensa.* 10, 2, 16: *rex cognoscendi plura cupidine accensus.* Ex altero haec C. 8, 45, 13: *perpetua partium felicitate ad spernendum omne periculum accensi.* 10, 11, 4: *non sunt accensi supplicio commilitonum.* Quippe quo affectu fuerint inflammati, res ipsa docet. Deinde *accendere aliquem* dicuntur sive homines sive res, si quis quando sive aliorum hortatu sive ipsis rebus stimulantibus ad quampiam rem studiosius peragendam suscitatur et commovetur. Velut C. 6, 1, 10: *qui extra teli iactum erant, clamore invicem suos accendebant.* 4, 59, 28: *ingens alacritas et fiducia paulo ante territos accendit ad pugnam.* Vide deinceps Caes. b. g. 7, 4, 1: *Vercingetorix — convocatis suis clientibus, facile incendit.* Hirt. b. g. 8, 48, 5: *incensum calcaribus equum.* De bell. alex. 22, 1: (hoc detrimento milites) *incensi atque incitati.* 29, 3: *quae res incendit dolore milites equitesque nostros.* De b. afr. 46, 1: *ira percitus Scipio atque animi dolore incensus.* Sall. Catil. 13, 4: *haec iuventutem — ad facinora incendebant.* 38, 1: *coepere — plebem exagitare, dein largiundo atque pollicitando magis incendere.* 49, 2: *odio incensus.* Iug. 25, 10: *ne amplius morando Scaurum — incenderet.* Aem. Prob. Lys. 3, 1: *quo dolore incensus.* Pelop. 5, 4: *incensus ira.* Eum. 10, 4: *Antigonus adeo erat incensus, ut nisi — leniri non posset.* Hannib. 2, 1: *hunc tanta cupiditate incendit bellandi.* Liv. 2, 6, 1: *incensus Tarquinius non dolore tantum — sed etiam odio iraque.* 2, 13, 7: *incensus ira.* 4, 8, 3: *in populo per multos annos incenso.* Deinde Sall. Cat. 25, 3: (Sempronia) *libidine sic accensa, ut —.* 51, 10: *eum oratio accendet.* Iug. 20, 1: *pollicitationibus accensus.* 31, 16: *illi ad dominationem accensi sunt.* 34, 1: *multitudo vehementer accensa.* 64, 4: *quae res Marium — vehementer accenderat.* 73, 6: *plebes sic accensa.* Fragm. p. 979 C.: *laudatum accensumque praemiorum spe.* Liv. 2, 20, 1: *domestica etiam gloria accensus.* 2, 27, 12: *multitudo licentia accensa.* 2, 54, 7: *his accensi vocibus patres.* 3, 5, 8: *caede legati et consulis vulnere accensi.* 3, 50, 3: *indignitate rei accensi.* 3, 62, 1: *indignitate etiam Romani accendebantur.* 4, 9, 8: *accensum iniuria iuvenem.* 4, 25, 13: *res ingenti certamine patres ac plebem accendit.* 6, 39, 5: *acerrime accenderent ad id, quod dissimulando petebant, plebem.* 7, 11, 6: *verecundia misericordiaque militem accendebant.* 9, 23, 14: *oratione*

dictatoris — milites accensi. 9, 31, 5: *spe praedae milites accensi.* 21, 11, 4: *ut pro concione praedam captae urbis edixit militum fore, adeo accensi omnes sunt, ut —.* 21, 48, 2: *spe ingentium donorum accensos.* 22, 13, 1: *accensum tot indignitatibus cladibusque sociorum.* 27, 49, 3: *ille fessos abnuentesque taedio et labore nunc precando nunc castigando accendit.* 29, 9, 6: *in multo impotentiorem subito rabiem accensi.* 30, 11, 6: *quum pulsos indignatio accenderet.* 34, 15, 1: *fessos iam suos consul — subsidiariis cohortibus in pugnam inductis accendit.* — Ad idem genus referendum est *extinguere* C. 3, 12, 5: *querebantur abluentem aqua corpus ereptum esse et extinctum.* 3, 13, 10: *ignobili morte in tabernaculo extingui se,* quod saepe repetitum est. Est autem proprium illud in igne infusa desuper aqua oppresso ac deleto: atque vis vitalis habet aliquam igneae naturae similitudinem. Vid. Sall. Iug. 14, 9: *stirpis tuae extinctor.* 14, 15: *generis praesidia omnia extincta sunt.* 95, 3: *familia prope extincta maiorum ignavia.*

§. 7. Insuper paucis quibusdam exemplis praeclara eminet translatio vocabulorum, quae de luce proprie poni solent. Hoc in genere primum commemorabimus *fulgere*, quod quum proprium sit fulgurum, transferri videmus in homines, qui cultu et armis fulgurum instar splendent. Ita C. 3, 8, 26: *equis virisque non auro, non discolori veste, sed ferro atque aere fulgentibus,* quo loco ne cuiquam illud: *non discolori veste fulgere* scrupulum iniiciat, quamvis res aperta sit, evellam tamen apposito exemplo ciceroniano in Catil. 2, 3, 5: *qui nitent unguentis, qui fulgent purpura.* Simillimum est 8, 17, 4: *periti militares auro et ebore fulgere dicebant.* Vide Cap. VI. — Praeterea apponam, quod cum illo satis coniunctum est, *emicare* apud C. 7, 27, 20: (Cyrum et Semiramim) *et magnitudine animi et claritate rerum longe emicuisse credebat.* Nam quum *micare* proprium esse videatur rerum vibrantium, tamen ita consuetudo deflexit vocabulum, ut aeque proprium haberetur in fulgurum gladiorumque motu. V. Curt. 8, 14, 3: *ab omni parte coeli emicare fulgura.* 8, 9, 26: *excussa tormentis tela micabant.* Et fulgurum similitudinem in illo loco iam illustravimus pag. 683. At illud certe concedendum erit, bonorum scriptorum neminem eadem illa metaphora esse usum; usus tamen est Iustinus 2, 9, 15: *inter ceteros Themistoclis adolescentis gloria emicuit,* quod structura, non ratione verborum ab curtiano exemplo abhorret. Vid. Boetticher Lex. Tacit. p. 173.

§. 8. Denique in hunc ordinem redigenda sunt verba alia haud pauca, quae quum proprie aut actionem in res a natura procreatas directam aut statum rerum eiusdemmodi denotent, in homines transferuntur; quod ubi factum est, plerumque animi quaedam affectio describenda erat. Ex his exempla aliquot seligamus, sed satis erit, ut in re sane trita, proposuisse nuda. Unus omnium frequentissimus in hoc genere usus est vocabuli *afficere*, velut 6, 22, 18: *Nicanor, subita morte corre-*

ptus, magno *desiderio* *sui* *affecerat* *cunctos*. 9, 37, 23: *regem desperatio salutis aegritudine affecerat*. 6, 9, 15: *quo dolore afficiemini?* — *Contingere* C. 5, 11, 12: *Dareum propinqua cognatione contingens*. 8, 24, 28: *omnium devotis capitibus, qui sanguine contigissent eos*. 6, 28, 32: *quo propiore gradu amicitiae me contingis* —. 10, 13, 3: *si quos adhuc pristina noxa iudicaret esse contactos*. Vid. Liv. 45, 7, 3. 29, 18, 12. 9, 1, 6. — *Imbuere* C. 6, 7, 6: *dum mitioribus ingeniis imbuuntur*. — *Permulcere* C. 6, 7, 6: *efferatos mollior consuetudo permulcet*. Vid. Liv. 3, 14, 6. 40, 21, 4. — *Affligere* C. 4, 34, 9: *amissi eius desiderio vehementer afflictus est*. — *Percellere* C. 5, 1, 8: *maiores suos perculsos in principio rerum celeriter pristinam reparasse fortunam*. Et C. 5, 11, 12: *suppliciorum metu perculsi*. — *Premere* C. 6, 29, 4: *non aliam premendi inimici occasionem aptiorem futuram ratus*. — *Frangere* C. 6, 3, 16: *haec victoria — omnes — fregit*. 6, 4, 1: *quem arma Persarum non fregerant*. 7, 38, 17: *quibus fractis*. 6, 6, 21: *nunquam infractos et abiectos recessisse, quotiens ipsius alacritatem et tanti animi spiritus haurire potuissent*. V. Cic. ad Fam. 4, 7. — *Obterere* C. 3, 5, 10: *percontari coepit, satisne ei videretur instructus ad obterendum hostem*. Vide pag. 29. *a*. — *Conficere* C. 3, 29, 25: *virgines non suo tantum, sed etiam illius moerore confectae*. — *Tenere* C. 3, 5, 15: *auri studio teneri*. — *Suspendere* C. 3, 25, 3: *ne suspensi, acrius ob nimiam festinationem concitato spiritu, capesserent proelium*. Vid. p. 118. — Deinde C. 6, 25, 4: *suspensum expectatione — rogat*. Vid. pag. 19. *a*. et p. 646. *a*. *b*. — *Annectere* C. 4, 3, 19: *Abdolonimum quendam, longa quidem cognatione stirpi regiae annexum*, ut apud Tacitum *connexus*. V. Boetticher Lex. Tacit. p. 123. — *Devincire* C. 6, 32, 4: *Parmenio — tot parentis mei meritis devinctus*. — *Obligare* C. 7, 32, 23: *Bessus tanto merito, ut credebat, obligatus*. — *Implicare* C. 7, 29, 7: *ancipiti periculo implicitus*. — *Astringere* C. 6, 30, 12: *Nicomachum, religione deum astrictum*. — *Obstringere* C. 8, 43, 17: *quae liberalitas — barbarum obstrinxerat*. — *Constringere* C. 6, 25, 7: *nec ulla religione, ut scelus tegat, posse constringi*. — *Solvere* C. 4, 49, 23: *quod solutum se curis somnum cepisse dixisset*. — *Resolvere* C. 6, 31, 21: *illum sive securitate animi sive fatigatione resolutum somnus oppresserat*. 9, 20, 10: *remisit arma moribundo similis adeoque resolutus, ut ne ad vellendum quidem telum sufficeret dextra*. De quo diximus p. 567. *b*. 360. *b*. — *Efferre* C. 4, 28, 26: *insolenti gaudio iuvenis elatus*. 3, 19, 10: *regem — absentia sua ad vanam fiduciam elatum*. — Nec plane aliena ab hoc loco sunt *attonitus* C. 5, 33, 13: *Persae attoniti metu*. 5, 27, 13: *attonitus moestitia simul et desperatione*. 5, 21, 13: *omnia vasta atque sine ullo humani cultus vestigio attoniti intuebantur*. Similia saepe reperiuntur apud Livium, Virgilium, Ovidium. — *Stimulare* C. 6, 17, 19: *maiore*

quam decebat simul ira ac dolore stimulatus. 4, 10, 18: *omnibus stimulatis opus orsus est.* Quod Cicero non sprevit. — *Onerare* C. 5, 14, 12: *promissis oneratum.* Vid. p. 434. sq. — Iam succedat alterum, quod descripsimus, genus: ex quo haec sufficient exempla. *Eminere* C. 6, 1, 3: *inter omnes Lacedaemonios rex eminebat.* 10, 4, 22: *Orsines — nobilitate ac divitiis inter omnes barbaros eminens.* — *Haerere* C. 10, 20, 18: *haerebat* (Perdiccas) *inter cupiditatem pudoremque.* 10, 16, 11: *quum diu nunc in veneratione, nunc in desiderio regis haesissent.* Cicero utroque vocabulo eadem vi usus est. At vero recentiorem usum redolet *caligare* C. 10, 22, 4: *nomen memoriamque regis sui tantum intuentes ad cetera caligare eos.*

§. 9. Sed his omissis, quod initio proposui, persequamur; ducit enim ordo disputationis nos eo, ut de iis vocabulis disseratur, quae quum proprie ponantur de rebus hominum manu, opera, consilio factis, in homines ipsos bestiasve transferuntur. Cuius generis quae apud Curtium reperiuntur exempla rarissima, non omni ambiguitate carent. Apponamus saltem ea, quae certissima esse videntur. Velut *columen* C. 9, 24, 8: *quis deorum hoc Macedoniae columen ac sidus diuturnum fore polliceri potest.* Etenim ubi *columen* translatum ponitur de re ea, qua alia quaepiam nititur, non a natura procreatum, sed manu factum videtur intelligi. Idem reperitur apud Ciceronem, velut pro Sest. 8, 19: *unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen reipublicae, diceres intueri.* — Praeterea fortasse eodem numero habendum est *librare* C. 9, 19, 3: *forte ita libraverat corpus, ut se pedibus exciperet.* Nam in hoc librandi verbo veteribus haud scio an proprium visum fuerit illud, ut de libra, trutina, lancibus diceretur. Vid. pag. 844. *a.* et Ovid. Fast. 1, 429: *et iam finitima corpus librabat in herba.* Art. Am. 2, 67. 68: *inde sibi factas humeris accommodat alas, inque novum timide corpora librat iter.* Virg. Aen. 4, 196: *his sese per inania nubila librant.* Plin. N. H. 10, 3, 3: *superest haliaeetos, clarissima oculorum acie, librans ex alto sese.*

§. 10. Restat, ut de tertia huius generis parte exponatur, quae comprehendit vocabula ea, quae quum propria sint earum rerum, quae cogitando formantur et comprehenduntur, in homines bestiasque transferuntur. Sed apud Curtium nulla satis certa illius usus deprehendimus exempla; nam quae in eum censum venire posse videantur, verius ab omni metaphorarum vi et usu abiudicanda sunt.

Ultimum commentationis nostrae caput, amplissimum illud et insigni rerum varietate refertum, quod, ne modus horum libellorum nimium excederetur, in has tabulas iam non potuit recipi, propediem typis describendum curabimus, ut si qui forte attento animo et benigno disputantes nos adhuc prosequuti sunt, his ad ea, quae reliqua sunt, pateat aditus.

Gesang der Alumnen.

Zu Anfang der Vormittags-Prüfung.

1. Choral von *Gumpelshaimer.*

Vater, dein ist unsre Kraft,
Dein ist unser Leben,
Als ein heil'ges hohes Pfand
Dieser Zeit gegeben.
Deine Rechte führe uns
Höher im Berufe;
Jeder Tag sei himmelwärts
Eine neue Stufe.

2. Lied von *Th. Hahn.*

Der Herr ist Gott und Keiner mehr;
Frohlockt ihm alle Frommen!
Wer ist ihm gleich? wer ist, wie er
So herrlich, so vollkommen?
Der Herr ist grofs, sein Nam' ist grofs;
Er ist unendlich, grenzenlos
In seinem ganzen Wesen.

Ihn trifft kein Wechsel flücht'ger Zeit
In seines Himmels Höhen,
Und seine Gröfs' und Herrlichkeit
Wird ewiglich bestehen.
Wir Menschen sind von gestern her;
Eh' Erd' und Himmel ward, war er,
Und ewig wird er bleiben.

Der Herr ist Gott und Keiner mehr;
Frohlockt ihm alle Frommen!
Wer ist ihm gleich? wer ist, wie er
So herrlich, so vollkommen?
Der Herr ist grofs, sein Nam' ist grofs;
Er ist unendlich, grenzenlos
In seinem ganzen Wesen.

Zum Schlufs der Vormittags-Prüfung.

3. Psalm 8 von *Th. Hahn.*

Herr, unser Herrscher, wie herrlich ist Dein Name in allen Landen, da man Dir danket im Himmel.

Aus dem Munde der jungen Kinder hast Du ein Lob Dir bereitet.

Herr, unser Herrscher, etc.

Was ist der Mensch, dafs Du sein gedenkest: und des Menschen Kind, dafs Du Dich sein annimmst?

Du wirst ihn lassen eine kleine Zeit von Gott verlassen sein, aber mit Schmuck und Ehren wirst Du ihn krönen.

Herr, unser Herrscher, wie herrlich ist Dein Name in allen Landen, da man Dir danket im Himmel.